R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
363
NAPOLI

3-2

5

4-2


Digitized by Google

9/

Digitized by Google

Digitized by Google

Biblioteca Nazionale V. E. II. NAPOLI



Digitized by Google

53302I R.VIII. A 363

PETRI DANIELIS HUETII

DE

INTERPRETATIONE

LIBRI DUO:

Quorum prior eſt, de Optimo Genere Interpretandi: Alter de Claris Interpretibus.

HIS ACCESSIT

De Fabularum Romanenſium Origine Diatriba.

Editio altera, priore emendatior.

Biblioteca Nazionale Napoli



HAGÆ-COMITIS,

Apud ARNOLDUM LEERS,

M. DC. LXXXIII. MN

TYPOGRAPHI
ADMONITIO
Ad
LECTOREM.

LECTOR BENEVOLE,

PAucis te volo, & in illis faciam, ut fidem noſtram, & ingenuitatem non poſſis deſiderare. Caveas tibi à multis ordinis noſtri monitoribus. Nam non raro peccant, & vehementer peccant, cum inferioris ſubſellii nomina, fucatâ & immeritâ commendatione proſequuntur, nec minus inverecundæ ſe alligant culpæ, cum grallatatâ oratione

tione ad majorum Nominum Laudes ſignificandas putant ſe poſſe aſſurgere. Curamus ut hac in noſtra Admonitione tale quid non reperiatur. Eundi per omnes Auctoris horum opuſculorum Laudes nunc nobis non eſt animus, nec revera noſtrarum eſt virium. Vir eſt ſupra Laudes. Illius ſolum nomen, eſt prolixa commendatio. Eſt numen Literarum & Muſarum.

Et cui nunc doctior orbis
Submiſſis defert faſcibus imperium.

Quæ cum ita ſint quid dicendum de opuſculis quæ nunc tertiâ vel quartâ vice vulgamus, quibus vir iſte ſummus viam ſibi paravit, ad ſummos in orbe Literario honores conſequendos. Has eruditionis

Hue-

Huetianæ primitias, ingeniique, ad gloriam, certò omine, graſſantis fœtus, maximo olim cum plauſu accepit tota Gallia. Fovit vero Germania ſecundâ editione, quæ omnium votis ibi deſiderata, mirum quantum doctis, & eruditis omnibus ſe probaverit. Quod cum apud me ſeriò reputarem, viſum eſt mihi Belgium noſtrum Literarium, cujus gloriæ tam ſum cupidus, quam qui maxime, aliquid detrimenti capere, quod auctorum iſtorum opuſculorum, nullam ditiorem poſſet ſibi vindicare. Ut vero odioſæ, & indecoræ iſti negligentiæ conſuleretur, & delibata gloria acceſſione quadam compenſaretur & augeretur, hanc novam editionem adornavimus, cui ingens acceſſit

ſuperpondium, aurea ceſtæ Mantiſſa, de Romanenſium Fabularum origine opuſculum, Muſis & Apolline dignum. His utere, Lector, & fruere, quod fiet cum fructu, & voluptate non exigua, nec ſine magnâ de opuſculis iſtis exiſtimatione, majori erga Auctorem cultu, nec forſan adverſus ipſum Typographum, quod vehementer cupimus, mediocri ſtudio.

Vale.

LIBRI PRIMI

PROTHEORIA.

I. *Exordium primum, ſuſcepti hujus Operis argumentum, & occaſionem complexum.* pag. 1

II. 1. *Exordium ſecundum.* 9

2. *Partitio Diſſertationis.* 11

3. *Interpretationis diviſio & definitio.* ibid.

III. 1. *Optimum interpretandi genus in univerſum proponitur, quod in eo ſitum eſt, ut ſententiæ; & ipſa, quoad ejus fieri poteſt, verba; tum character referantur.* 15

2. *Probatur Argumentis.* 16

3. *Unde Interpretum licentia profluxerit, aperitur.* 19

4. *Verbum de verbo exprimendum, & vocum ordinem retinendum, quatenus linguæ id facultas feret.* 21

IV. 1. *Optima interpretandi genera ſpeciatim proponuntur.* 22

2. *Interpretatio pro materiæ varietate temperanda eſt.* ibid.

3. *Optimum interpretandæ Scripturæ genus explicatur.* 23

4. *Patres quomodo interpretandi.* 25
5. *Qui in Theoreticis verſantur quomodo interpretandi.* 26
6. *Optimum affertur Grammaticorum & Technicorum reliquorum interpretandi genus;* 29
7. *Tum Hiſtoricorum,* ibid.
8. *Oratorum,* ibid.
9. *Et Poëtarum.* 30
V. 1. *Contrariæ rationes objiciuntur.* 32
2. *Objecta argumenta diluuntur.* 35
VI. 1. *Optimum interpretandi genus propoſitum confirmatur exemplo & auctoritate ſeptuaginta Interpretum.* 42
2. *Aquilæ,* 44
3. *Theodotionis,* 45
4. *Symmachi,* ibid.
5. *Samaritanæ, Syriacæ, Æthiopicæ, & Perſicæ Interpretationis Scripturæ,* 46
6. *Italæ,* 47
7. *Hieronymianæ,* ibid.
8. *Euſebii,* 48
9. *Auguſtini,* ibid.
10. *Ambroſii,* 50
11. *Gregorii Magni, & Hieronymi,* ibid.
12. *Caſſiodori,* 51
13. *& Irenæi;* 52
14. *Tum Ciceronis,* 54
15. *Horatii,* 58

16. &

16. *& Quintiliani.* 59
VII. 1. *Elevantur prolatæ autoritates, tum aliæ opponuntur.* 60
2. *Aſſeruntur impugnatæ auctoritates, oppoſitæ exploduntur.* 69
3. *Hieronymi Liber, de optimo genere interpretandi, confutatur.* 76
VIII. *Diſputationis* ἀνακεφαλαιώσεως. 98
IX. *Ars interpretandi paucis explicatur.* 105

LIBRI SECUNDI

PROTHEORIA.

Exordium primum de commodis & incommodis, quæ ex interpretandi arte in literas promanarunt. 109
II. 1. *Exordium ſecundum.* 112
2. *Diſſertationis partitio.* 114
III. 1. *De variis Scripturæ Interpretationibus.* 115
2. *Septuaginta Senum,* 116
3. *Aquilæ,* 118
4. *Theodotionis,* ibid.
5. *Symmachi, Hierichuntinâ, Nicopolitanâ, Apollinarii, & Sophronii; item Librorum Novi Teſtamenti aliquot.* ibid.
6. *De Chaldaicis Scripturæ Interpretationibus,* 121

7. *Syriacis,* 125
8. *Arabicis,* 131
9. *Æthiopicis,* 134
10. *Perſicis,* 136
11. *Italâ & Vulgatâ,* 137
12. *Ebraicâ, Græcâ, & Latinâ Librorum Scripturæ aliquot,* 140
13. *Auguſtini Juſtiniani,* 143
14. *Sebaſtiani Munſteri,* 144
15. *Santis Pagnini,* ibid.
16. *Iſidori Clarii,* 145
17. *Leonis Judæ,* ibid.
18. *Sebaſtiani Caſtalionis,* 148
19. *Immanuëlis Tremellii, & Franciſci Junii.* ibid.
20. *Latinâ Complutenſi, è ſeptuaginta expreſſâ,* ibid.
21. *& Latinâ Complutenſi è Chaldaicâ Paraphraſi expreſſâ.* 149
22. *De Latinis quibuſdam Novi Teſtamenti Interpretationibus,* ibid.
23. *Deſiderii Eraſmi,* 150
24. *Theodori Bezæ,* ibid.
25. *Guidonis Fabricii Boderiani,* ibid.
26. *De Samaritanâ Scripturæ Interpretatione & Græcâ ad Samaritanum exemplar elaboratâ,* 151
27. *Copticâ.* 152
28. *Armenicâ,* 153

29. *Dal-*

29. *Dalmaticâ,* ibid.
30. *Rutenicâ,* 154
31. *Gothicâ.* ibid.
IV. *De Arabicis Interpretationibus Auctorum* τῶν ἔξωθεν; ibid.
V. *De Ebraicis, & Syriacis;* 163
VI. *De Græcis.* 168
VII. *De Interpretationibus Latinis, quæ è Linguis exoticis prodierunt.* 178
VIII. 1. *De Latinis Interpretationibus, quæ è Græcis derivatæ ſunt,* 192
2. *Antiquis,* 193
3. *Recentioribus,* 209
4. *Gallorum,* ibid.
5. *Italorum,* 217
6. *Germanorum,* 224
7. *Belgarum,* 230
8. *Anglorum,* 234
9. *Hiſpanorum,* 235
10. *Polonorum,* 236
11. *& Græcorum recentiorum.* 237
IX. *De Gallicis Interpretationibus.* 240

In

In Eruditos & Elegantes

PETRI DANIELIS HUETII
DE
INTERPRETATIONIBUS
LIBROS
EPIGRAMMA.

NOſtra nihil priſca poſthac conceſſerit ætas,
Nec ſi contendat, poſteriora feret.
Ad Babelem Deus in populis divortia fecit,
Uno quos ultor dedocet ore loqui:
Ad Cadomum populis commercia reddit HUETUS,
Inter ſe certo quos docet ore loqui.

PETRUS MAMBRUNUS,
è Soc. Jeſu.

In eoſdem

EPIGRAMMA.

SI quis perfecti partes Interpretis uſquam
Implere, atque adeo munia noſſe putat:
Ille putet meritò, Naturæ Interpretem, & Artis
Qui cùm ſcripta leget, dicet HUETIADEN.

ANTONIUS GARABIUS
Luzernæus.

IN

IN EOSDEM
CARMEN.

QUis novus hoc cultu prodit ſub luminis auras
Pumice deterſus Codex, cedróque notatus
Et gazâ ſimul ipſe ſuâ prædives, & amplis
Hellados & Latii ſpoliis gravis? illius ergò
Scriptor HUETIADES, famâ jam cognitus Orbi,
Nondum ter denis vitæ natalibus actis,
Viſendum hîc cujus prima offert pagina nomen?
Certè alius Librum quiſquis leget, hicque notabit
Et caſtas voces, & magni lumina Tullî,
Circuitúſque illud paucis imitabile textum;
Haud credat præſtare adeo ſermone pedeſtri,
Carmine qui valeat tantùm, tantúmque peritus
Sit pariter calamos inflare, tubámque Maronis;
Plectra & qui moveat Venuſinis æmula, quémque
Teius haud vincat blanda teſtudine Vates,
Pulſantem Argivas æquali pectine chordas.
Aſt Operis præclari audire an debeat auctor,
Qui laris ipſe mei toto fuit incola luſtro,
Mî dubitare nefas, & vaſtæ, & ad omnia natæ
Cui mentis vigor à teneris innotuit annis.
Temporis illius jucunda recurſat imago,
Cum puer undoſi ſudantem in pulvere ludi
Anteiret ſociûm turbam omnem, vividus, acer,
Igneus, aſt animi juſto cum pondere, cunctos
Et longo æquales præverteret intervallo.
Eloquar, ut jam tùm (ſit fas mihi nota profari)
Libera ſeu numeris meditans, numeriſve ligata,
Scriberet invidiam doctis factura Magiſtris?
Hinc nondum egreſſus fines impuberis ævi,
Mirâ acie mentis, dum triplex volvitur annus,
Pervidet umbroſo quæcunque repoſta Lyceo,
Arcani & quidquid duplex Academia, quidquid
Dia Matheſis habet. Surgentia ſydera pernox
Servabat, cauſáſque ſagax, obitúſque notabat,

So-

Solis & anfractus varios, Luna unde laboret,
Quæque rotent Cœli momenta volubilis orbes.
At nova dum fretus vi tantâ, & acumine montis
Dogmata propugnans in apertâ certat arenâ;
Abdita tum promit doctæ miracula turbæ,
Collectâſque oſtentat opes, & ſepta Lycei
Indignans, alta Euclidis Problemata pandit,
Atque arguta novis Syſtemata diluit auſis,
Quæ Ptolemæe ſenex, quæ nuper Tycho docebas,
Quæque *Torunnæi deprendit cura Magiſtri.

* *Torunna, vulgò* Torn, *urbs Boruſſiæ, Nicolai Copernici patria.*

Vrbis cum Proceres ſtupuêre, ingénſque corona,
Palladius ſtupuit chorus omnis, & ipſe Senatus
Palladii Princeps. Ego Picum audire videbar,
Picum, ætas ſua quem miráns Phœnica vocabat;
Sic alacrem pugnâ in tali, ſic cuncta ſine ictu
Tela retorquentem in pectus revoluta vibrantum,
Dum pariter primæ pubeſcit flore juventæ.
Talia quæ cernens, pulchrum quanquam ad decus ultrò
Graſſantem, vixque ullius monitoris egentem,
Ipſe tamen crebris implens hortatibus, ipſe
Incendebam urgens, & tendere porrò monebam.
Ac veluti præceps effuſa è carcere pubes
Cùm ruit, & ſpatii volat ardens æquore longo,
Increpat & bijuges contorto verbere currus:
Nobilis actutùm quem palma coronat ovantem
Clamores juvat, & plauſus audire ſecundos
Gratantnm, & creſcit laudando maſcula virtus:
Sic animi Iuvenis felix, & victor ubique,
Sic noſtras voces pronâ aure bibebat, & ardor
Mollibus exacui ſtimulis generoſus amabat.
Da veniam, Lector, prolixum hîc ſcilicet, at non
Mendacem me fecit amor. Veneranda tenentem
Scita dehinc bis quinque Virûm, geminíque peritum
Iuris HUETIADEN, & tot jam dotibus auctum
Aſſerere alma ſibi Themis ardet, ſive tonantis
Patroni pro Rege foro ſe prodiga fandi
Copia diffundat; ſcandens ſive altius, ipſe
Inter honoratos premat aurea Lilia Patres.
Parte aliâ inſtigat Mavors, haud degener enſem
Ut

Ut lateri hoſtilis ſitientem ſanguinis aptet.
At Dea Cecropidûm doctas quæ temperat Artes,
Neutrius hic veſtrûm, dixit, ſed totus & uſque
Noſter erit; ſtudiiſque addicto nobilis otî
Non lituûm clangor gravis obſtrepet, atque urbarum,
Inſanúſque fori ſtrepitus: nec honoribus emtis,
Nec magnis quærens opibus clareſcere, temnet
Ora ſalutantis cultum teſtantia vulgi.
Túque adeò dona exerce, quæ contulit Æther
Larga tibi, magnis & te qui deſtinat orſis:
Ardua certè opus eſt moliri, at grandia nuſquam
Cœpta mares terrent animos, & gloria dulcis
Sollicitat, fortéſque incendit vivida virtus.
Audiit innuptæ Iuvenis pulcherrima Divæ
Conſilia,& jam alacris veterum genus omne volutat
Scriptorum, quos Graia, & quos tulit Itala tellus.
Nec modus aut requies, placitis ante omnia libris
Incumbit ſine fine, nec impalleſcit eiſdem;
Nam prohibent vegetæ præſtanti in corpore vires,
Quas vinum, aut vini vulgò aſſecla fœda voluptas
Non frangunt, vitia infrenæ ſolennia pubi.
Nec ſimilis Iuvenum, reſides quos ſemper eodem
Stare loco, patriiſque focis juvat uſque morari;
Is Cadomum natale (ſciendi tanta cupido eſt)
Linquit & immenſum per iter terræque, maríſque,
Audet ad extremos hominum penetrare Suecos.
Hîc tot ſive manu perarata volumina, ſive
Cuſa typis optans, aliámque videre Minervam.
Quem notum docta ante omnes Regina,favénſque,
Ingeniis retinere ſuâ tentavit in aulâ,
Rurſus & ad ſeſe Chriſtina Auguſta vocavit
Jam melior, Chriſtíque ſacro jam reddita ovili.
Uſque adeò potuit virtus ſpectata probari;
Gratior hoc etiam virtus, quod pectore ab illo
Inviſus tumor omnis abeſt, faſtúmque relegans
Commendat niveos adjuncta modeſtia mores.
Vis nunc quos habeat ſucceſſus ille teredeis
Tot chartis labor inſumtus cognoſcere? culto
Ecce Libro manifeſta fides. Viden' omnia reru m
Acrus

Acrius expendens momenta ut præterit omnes,
Queis talem fuit ante labor decurrere Campum?
Aſpicis ut ſcitè, meritóque notetur eidem
Plurimus Interpres? vel qui captare lepores
Dum ſtudet, excurrit longè, ſeſéque, nec ipſum
Exprimit Archetypum: vel cujus putida cura
Nativo ornatu ſpolians, quos reddere vultus
Nititur aſſimiles, fœdat; nec jam amplius Auctor
Se miſer agnoſcens, velut alter Marſya, pelle
Nudatus. *Quid me mihi detrahis*, improbe? clamat.
Cerne alios contrà dignis ut laudibus ornat,
Qui velut in Libyco deprenſi gurgite, Syrtes
Has inter geminas tuti, fluctúſque ſequaces
Evadunt, ſubit & portus haud naufraga puppis.
Qui tamen hîc ſplendet verbis, & divite rerum
Mole tumens, lucem dextro videt alite Codex;
Ille rudimentum, & magni proluſio tantùm eſt
Parva Operis, ſummorum inter monumenta Virorum
Bibliotheca ingens quod Vaticana reponet,
Suprema arſuri viſurum tempora Mundi.
Naſcens interea Regni totius, & Urbis
Reginæ referet præconia juſta Volumen:
Nuper ubi meruit laudari nobile Carmen,
Ad miſeras quo dicta redux Pax aurea Gentes,
Et Regalis Hymen, amborum &. Julius àuctor.
Illius & nuper dominam non ſecius Urbem
Detinuit, Flacco non inficianda, politi
Menagii in terſas quâ molliter influit aures,
Littera. Sed Francis hæc claudi pagina metis
Impatiens, gelidi primos Aquilonis ad ortus,
Palladi & Arctoæ regnatas ibit ad oras,
Atque Caledonios tractus; Tameſiſque revolves
Flavus eam potor, Rhenique, & concolor Iſtri,
Accola, verſabitque Tagi gens fuſca rubentis,
Romàque Romano mirabitur ore loquentem.

ANTONIUS HALLÆUS,
In Cadomenſi Academiâ Profeſſor Eloquentiæ Regius, & Muſei Sylvani Gymnaſiarcha.

D E

LIBER PRIMUS,

DE OPTIMO GENERE INTERPRETANDI:

AD ANDREAM GRANDORGÆUM.

I. Exordium primum, ſuſcepti hujus operis argumentum & occaſionem complexum.

MAGNA erat, ANDREA, Jacobi Præmontii fratris tui præſtantia ingenii atque vis, tum præclara & libero homine digna eruditio: judicio autem in literis utebatur adeò ſubtili, ut nemo cautiùs

Sciret inurbanum lepido ſeponere dicto.

Ad hæc morum candor eximius acceſſerat, & facili quadam comitate temperata gravitas, necnon retinendis amicitiis fides propemodùm ſingularis. Mihi autem jam inde à puero ejuſmodi cum eo interceſſerat familiaritas

 atque

atque conſuetudo, ut & amicitiâ, & omni voluntate eſſemus conjuncti, párque omnino eſſet ratio ſtudiorum: ſed eâ tamen inter nos quaſi præſtitutâ lege, ut qui me non annis ſolùm major, ſed omni etiam doctrinâ foret inſtructior & prudentiâ, præceptoris locum & magiſtri, ego diſcipuli atque auditoris obtinerem. Parebam itaque ſapientiſſimis ipſiu conſiliis, quoad poteram; nec ab ejus umquam latere, niſi melior aut doctior recedebam, fieríque ſtudebam hac conteſtatâ virtute emendatior. Sic enim à naturâ paratus acceſſeram, ut & nimiâ quadam ingenii laſciviâ diffluerem, & juvenilis in me ſeſe efferret incitatio, quorum alterum moderatione ſuâ molliebat, alterum monitis retundebat & præceptis; ſic tamquam ſilveſcentem ramis, ac foliis luxuriantem arborem ars agricolarum coërcet. Me ille ad fucatæ doctrinæ magiſtros abeuntem primus reprehendit; nec in viam reduxiſſe contentus, ad fontes ipſos, unde ſanæ eruditionis præcepta haurirentur, digitum intendit: is inconditâ hac pueritiæ protervitate à me abſterſâ, animo rudi & aſpero primos urbanitatis ſenſus inſtillavit. Huic itaque referre acceptum debeo, ſi quid umquam conſequar in literis; quod certè necdum agnoſco, & vix, eo præſertim erepto, ſperare auſim. Ejuſmodi autem hortatore addente animos,& cal-

car ſubjiciente, ad magna quævis aſpirare, & fortaſſe, ſi huic ſuppeditâſſet vita, correpere poteram. Sed profectò à tam excellenti indole progreſſus ætatis minimè erat expectandus: ſic enim comparatum eſt, ut optima quæque caduca ſint & brevia; deterioribus verò florentis ævi diuturnitas facilè contingat. Nunc verò ejuſmodi deſtitutus præſidio, quid in me facultatis eſſe putem, quoad ſublimia eniti, nedum valeam pervenire;

Lacrumo, quæ poſthac futura eſt vita, quum in mentem venit,
Solitudòque.

Quamquam ea cogitatio me reficit, te viri hujus optimi, non corporis ſolùm filo & natalibus, ſed morum etiam ſuavitate, reliquíſque laudibus verè germanum, quaſi jacturæ huic reſarciendæ in patriam reveniſſe.

Quàm gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
Reſtare video!

Nec levis porro ſpes eſt, futurum ut neceſſitudines ab eo ſuſceptas in te recipere, & quaſi hæreditatem adire velis; téque illius ex eâ parte diſſimilem neutiquam fore confido, quâ te quàm ſimillimum eſſe decet. Abs te igitur peto, ut qui fraternæ doctrinæ ornamenta & præclaras animi dotes ita refers, ut eas propriâ virtutum acceſſione cumulâris, ejus etiam adversùm me benevolentiam, novo florentem incremento & gratiâ repræſentes. Sed

redeo ad fratrem tuum. Quum pro ſuâ humanitate veniret ille ad me ferè quotidie, & ſi quid adnotaverat, mecum communicaret, quidquid verò ipſe commentatus fueram, ſibi prælegi vellet; contigit aliquando, ut me in Bibliothecâ multis circumfuſum libris offenderet, quæreretque ecquidnam operæ tanto apparatu conarer: molas me verſare reſpondi, ad quas invitus fato neſcio quo fuiſſem deſtinatus, Origenémque transferre: tum ipſe, arrepto eo, cui interpretationem illinebam, libello, perlectíſque verſibus aliquot, ſermonis incuriam demiratus, Hi, opinor, inquit, primi ſunt lucubrationis tuæ tibicines, quos vel detrahes, quum ſolidæ columnæ advenerint, vel aliquo certè ornatu conveſties. Hîc ego, quum quid ſibi vellet, non ſatis perſpicerem, Quorſum iſtuc, inquam, Præmonti; nec enim intelligo, cur alteram quaſi interpretationem poſtulet hæc interpretatio. Tum ille comiter, ut ſolebat, Alteram profectò, inquit, à te interpretationem non requiram, unam modò, téque, & Origene dignam edas, aptâ nimirum verborum compoſitione, & æquabili orationis tractu contextam, & ſublimia, ac propè divina tanti viri cogitata pari cum dignitate referentem; quæ ſanè impolito ſermone obſcurari, & invenuſtâ ſtili tenuitate deteri minimè decet: neque verò quicquam à te niſi ingenio elaboratum

ratum atque induſtriâ proficiſci velim, cujus laudi ita ſtudeo, quaſi ipſa cum meâ laude conjuncta ſit, tuóque nomine utriuſque noſtrûm contineatur exiſtimatio. Ego verò, inquam, amo te, qui ita ſentias, ſed vide

Ne ſtudio noſtri pecces, odiúmque libellis
Sedulus importes,

quos tamen omnibus acceptos eſſe cupis: vereor enim ne perpoliendo, ut præcipis, ſermoni huic dans operam, ſcriptoris fortaſſe non mali laudem obtineam, boni verò ac fidi interpretis planè amittam; quam tamen, alterâ hac tantiſper omiſsâ, in præſentiâ potiſſimùm perſequi debeo. Sic enim exiſtimo, quicunque Interpretis ſuſcipit partes, in eo præcipuè ipſius eniti debere induſtriam, non ut facultatem dicendi, ſi quâ fortè præditus eſt, exerceat, & orationis ſuavitate auribus fuçum faciat; ſed ut autorem, cujus interpretationem molitur, tamquam in ſpeculo & imagine, ſic in verbis ſuis contuendum exhibeat; aſcititiúmque omnem ornatum, quaſi integumentum, detrahat, vel quaſi inductum nativo colori pigmentum abſtergat. Ad hæc Præmontius, Novum mihi illud eſt, inquit, quod ſtatuis, neque tamen de eo tecum pugnare velim, quum ad veri ſimilitudinem, ut loquar quæ ſentio, videatur eſſe propenſius: aliud eſt enim, ut acutè diſtinguis, ornatè ſcribere; aliud accuratè interpretari;

quod antè ſanè in mentem non venerat: at id vereor ut ætatis hujus hominibus approbare poſſis, apud quos ea ferè invaluit autorum convertendi ratio, quam à te mox requirebam, & tu repudiaſti. Quoniam igitur omnium propè uſu pervagatum morem, & univerſis ferè calculis receptam ſententiam convellere audes, providendum eſt ne id temere abs te factum videatur. Et verò, ſi me audies, de optimo genere interpretandi quid ſentias, tum & argumenta, quibus adductus ita ſentias, brevi aliquâ diſſertatione concludes, res erit hominibus noſtris cùm valdè jucunda lectu, tum ſanè vehementer utilis. Poſtquam enim renatæ literæ, & à barbarie vindicatæ ſunt, hoc interpretandi ſtudium viris doctis uſque adeò placuiſſe ſcimus, ut quum aliquid eſſent in utriuſque linguæ facultate conſecuti, ad convertendos ſtatim autores induſtriam ſuam conferrent; nec quicquam ſibi inter literatos laudis viderentur adepti, niſi tranferendis antiquorum ſcriptis doctrinæ ſuæ ſpecimen edidiſſent. Quo magis mirari ſubit, perpaucis ac prope nullis eâ de re traditis præceptis, dum ingenio ſuo unuſquiſque obſequitur, in diverſas partes abiiſſe omnes, ut tot prope ſint interpretandi modi, quot extant interpretum nomina. Quamquam ab aliquot annis, ea ferè, ut dixi, obtinuit conſuetudo, ut etiam tenui ſtilo, & ſcrip-

ſcripturâ levi uſi autores, uberiore orationis filo, & ſplendido verborum contextu ab interpretibus induantur. Operæpretium ergo feceris, ſi incertum hoc ſtudium certis quibuſdam finibus circumſcripſeris, in ordinémque redegeris. Faciam enim vero, inquam, quando ita jubes: verùm quoniam illud eſt otii, & alia nos hoc tempore impediunt, tu modò ad certam diem promiſſum hocce, quaſi debitum ne repetas, dabo operam, ut lentum qüidem nomen, certum tamen eſſe me fatearis. Expectabo, inquit, quæ polliceris, efficiámque ut flagitatorem quoque me non incommodum, at memorem tamen & aſſiduum ſentias. Hæc ille. Poſt aliquot deinde menſes, quam hæc inter nos fuere conſtituta, acerba illum, & bonis omnibus luctuoſa mors oppreſſit:

At quem virum! quem ego viderim in vitâ optumum:

cujus profectò deſiderium ferre nullo modo poſſem, niſi ea me ſuſtentaret, quæ in animo aſſiduè verſatur, vitæ cum eo placidiſſimè actæ, ſummæque ſtudiorum ac voluntatum conſenſionis memoria & recordatio; & nì ea me ſpes aleret, futurum ut tu alter nobis Præmontius exiſtas. Id verò quo mihi magis perſuaſum eſſe ſcias, totam hanc quæ ejus rogatu & conſilio ſuſcepta eſt, quámque ipſe à me repoſcere poterat, diſputationem ad te per-

pertinere duxi. Habe tibi ergo quodcumque illud eſt: tu controverſiam æquus exiſtimator dijudicabis; ego in tuo, fratríſque tui nomine facillimè acquieſcam. Sermonem hunc omnem de interpretatione Iſaaco Caſaubono tribuimus; cùm propter excellentem viri autoritatem & doctrinam, tum quòd ſingularem hac in exercitatione uſum videatur olim fuiſſe conſecutus; ipſéque adeò propriam explicando huic argumento diſſertationem ſeorſum à ſe teſtetur eſſe conſcriptam: quam tamen publicæ luci, ſive eorum ad quos hæc cura pertinebat, negligentia, ſive caſus aliquis invidit. Memorià autem teneo audire me ex Petro Puteano, clariſſimo viro, quum diceret, paucis poſt diebus quàm Polybium Caſaubonus edidiſſet, veniſſe ad eum in Bibliothecam Regiam, cujus procurationi tum præfectus erat, Jacobum Auguſtum Thuanum & Frontonem Ducæum, viros magnos & cumprimis eruditos, quóſque longo uſu & amicitià Caſaubono fuiſſe conjunctiſſimos accepimus: tunc autem, quum Polybii prudentiam civilem, militarémque ſcientiam mirificè prædicaſſet Thuanus, profeſſúſque fuiſſet palàm ſingularia ſibi ab eo ſubminiſtrari adjumenta, poſtquam ſuorum temporum hiſtoriam tradere literis eſſet ingreſſus; Caſauboni quoque in excolendo Polybio induſtriam ſummopere Frontonem extuliſſe: eam verò utrique potiſſimùm

Caſaub. Præfat. ad Polyb.

ſimùm

ſimùm placuiſſe interpretandi rationem, quam hoc operè transferendo tenuiſſet, ut non facilè exiſtimari poſſe crederent, Polybiúmne Caſaubonus, an Caſaubonum Polybius convertiſſet. Aiebat præterea Puteanus quæſiſſe Frontonem ab eo, quinam ipſi præ reliquis valdè probaretur interpretationis modus: quæ quum audiſſet Caſaubonus, multa inter eos de optimo genere interpretandi ultrò citróque fuiſſe agitata. Horum ego totam de eâ quæſtione diſputationem hoc libro explicavi. Sed quo citius hoc quod ſuſcepi munus poſſim abſolvere, Caſaubonum ipſum cum aliis diſſerentem audiamus.

CAS. Ita eſt, ut dicitis, Fronto optime, *II. I. Exordium ſecundum.* túque ampliſſime Thuane, magna eſt Polybii laus, & inter alios omnes, quicumque in conſcribendis hiſtoriis verſati ſunt, haud ſcio an maxima. Quod autem addidiſtis, gratiæ nimirum causâ, non fruſtra nos in eo recenſendo & convertendo elaboraſſe, ídque adversùm vos fuiſſe gratum, jam verò uberrimus mihi conſtat induſtriæ meæ fructus, qui, mea vobis ut probarentur, conſecutus ſum: eóque magis id gaudeo, quod res à me fuerat ſuſcepta difficillima; moleſtam rem enim & tormento ſimilem eſſe dixit Tullius, alieno ſtomacho & non ſuo ſcribere. Ecquemnam porrò tenendum in interpretando modum, rationémque perſequendam potiſſimùm du-

Caſaub. Præfat. ad Polyb. cam, id quod à me quærebas, Fronto, *brevi quadam diatribâ* expoſui, *quam unà cum noſtris in Polybium commentariis, Deo faciente, ſumus edituri.* FR. Illud profectò cecidit peropportunè, quòd in eum delapſus ſis ſermonem, & diſſertationis hujus mentionem injeceris; magna enim me perfruendæ hujus inceſſit cupido, poſtquàm ſpem hanc nobis in tuâ ad Polybium præfatione feciſti: ſcitis enim quot jam annos in eodem hoc interpretandi curriculo ipſe deſudarim. Sed cur diſſertationem tuam expectem? age verò quid eſſe poteſt hoc in otio aut jucundius, aut utilius, quàm à te, Caſaubone, omnem hanc de optimâ interpretandi ratione quæſtionem exponi? CAS. Grave mihi onus à te imponitur, Fronto, difficiles enim explicatus habet id argumentum; neque ſi quid in ſcribendo, idem quoque poſſumus in dicendo: conſultiúſque factum eſſet à te, ſi quæ accuratè, cogitatéque conſcripſimus, legere, quàm quæ tumultuariâ ac promtâ oratione dicturi ſumus, audire maluiſſes. Vide itaque, vir optime, quò me compellas, & tecum mihi crimen illud commune futurum cogita, ut ſi provinciam hanc adminiſtrare non potuero, aliqua mea fortaſſe culpa ſit ſuſceptæ, tua autem traditæ vel maxima. THV. Ego verò iſtud, quod vereris, periculum præſtabo; novi enim ingenium tuum, & doctrinam, quæ qualia

lia ſint, vel parùm videris perſpexiſſe, quòd minimè ſibi ſit unuſquiſque notus, vel certè diſſimulare. Perge modò, Caſaubone, nequaquam me profectò, neque Frontonem iſtum ad hunc te ſermonem impuliſſe pœnitebit. CAS. Iſta quidem vis eſt, quò nolis, & ubi non ſine periculo futurus ſis trahi & trudi ſimul. Veſtram tamen iniquitatem patiar, quam accuſetis ſanè, ſi quæ ego non poſſim, à me poſtulaveritis; ſin ſtudiis veſtris obſecutus ſuſceptum negotium feliciter fortè explicavero, meam tamen facilitatem laudetis. Quod in omni ergo diſputatione faciendum in principio cenſeo, ne temerè vagetur oratio & excurrat, tota hæc in genera quædam digerenda eſt interpretandi ratio: deinde eorum generum, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, membra quædam ſeligenda primùm, deinde diſpertienda ſunt; reliqua, quæ ad rem non faciunt, prætermittenda: tum propriâ unaquæque res eſt definitione declaranda, certâque circumſcriptione determinanda ac ſancienda: poſtea, quæ contrà afferri poſſunt, diluenda: quibus ita conſtitutis ad examen variæ variorum revocabuntur interpretationes, & ad noſtram normam exigentur. Ac primùm quidem interpretationis nomen perlatè patet, illôque vulgò comprehenditur *Sermo omnis quo fit ut res minimè intellecta percipiatur:* atque eo, non in aliam ſolum-

2. Partitio Diſſertationis hujus.

3. Interpretationis diviſio & definitio.

ſummodò linguam ex aliâ converſio, ſed & commentarii præterea, gloſſematum expoſitiones, ſcholia, μεταβολαὶ, paraphraſes, metaphraſes, tum ὁμόγλωττοι, tum ἀλλόγλωττοι, & reliqua ejuſmodi continentur. Ad diſciplinarum etiam reconditarum explicationem, ad ænigmatum & ſomniorum enodationem, ad oraculorum explanationem, ad implicitæ quæſtionis ſolutionem, & ad ignotæ demum cujuſcunque rei declarationem vis nominis hujus porrecta eſt. Nobis autem in præſentiâ hoc interpretationis vocabulo ſignificatur duntaxat *Sermonis alicujus in alteram linguam converſio:* quod cùm duabus ferè de cauſis fieri contingat, vel linguæ condiſcendæ ac ſtili procudendi gratiâ; quemadmodum tironibus uſuvenire ſolet, cùm vernacula Latinè, aut Latina Græcè, vertunt, quaſi hominibus harum linguarum peritis ſermonem minime intellectum vellent exponere; vel ſermonis vulgò ignorabilis exponendi cauſâ, inde duæ ſpecies effloreſcunt: priorem, quæ nihil ad hoc tempus, prætermittimus: poſterior ſic à nobis definitur, *Sermo linguâ notiore expreſſus, ſermonem linguâ minùs notâ expreſſum referens ac repræſentans:* quo ſenſu totâ hac diſputatione iſtam interpretationis vocem, ſi placet, uſurpabimus. Hujus igitur generis duæ itidem videntur eſſe formæ; altera, quum non auctorem modò, auctoríſque verbis ſubjectam ſenten-

ſententiam reſpicit Interpres, ſed vel lectoris etiam ſervit voluptati aut ſtudiis, vel ſuo ipſius ingenio indulget; altera, quum unius auctoris rationem habet, in eòque perquàm accuratè referendo tota ipſius verſatur ars & diligentia. Ad priorem hancce formam pertinere videntur ea, quæ è poëtis Græcis Romani poëtæ veteres Latinis verſibus expreſſerunt; cujuſmodi ſunt quæ ex Æſchylo, Sophocle, & Euripide verterunt Ennius, Pacuvius, Accius, & Attilius, quæ e Demophilo, Philemone, Diphilo, Epicharmo, Menandro, & Apollodoro Plautus, Terentius, Cæcilius, Afranius, & Aquilius; quæ ex Arato Ovidius & Germanicus; quæ ex eo item, & ex Homero, Æſchylo, Sophocle, Euripide, aliiſque expreſſa, ac libris ſuis paſſim inſerta Tullius; quæ ex eodem Arato, & Dionyſio Avienus, & Rhemnius Fannius; quæ è Sappho item, & Callimacho Catullus, quæ ex Apollonio Atacinus Varro; quæ Cornelius Gallus ex Euphorione; quæ ex antiquo quodam Poëta Aubonius, quæque alii ex aliis Romano carmine tranſtulerunt. Hoc etiam genus eas Ciceronis interpretationes complectitur, quibus Æſchinis & Demoſthenis orationes, non ut interpres, ſed ut orator Latinitate donavit: hoc Ambroſii Hexaëmeron, quo cognominem Baſilii librum, ordine mutato, adjectíſque ex Origene, Hippoly-

polyto, & de ſuo nonnullis diligenter expoſuit. Illùc quoque referenda eſt epitome, quum prolixiorem auctorem intra anguſtias quaſdam alienâ linguâ concludit interpres; illùc paraphraſis, cujus hæc à Quintiliano tradita eſt definitio; *Neque ego*, inquit, *παραφράζειν eſſe interpretationem tantùm volo, ſed circa eoſdem ſenſus certamen atque æmulationem.* Ejuſdemmodi ſunt periphraſis & metaphraſis, quarum hæc ita interpretatur, ut prout ſeſe dederit occaſio, aliqua vel adjiciat, vel detrahat, orationémque in aliam formam recudat: quod cum in vitis virorum ſanctitate illuſtrium referendis egiſſet Symeon Logotheta, inde ſcriptiones ejus Metaphraſes, ipſe vero Metaphraſtes appellari meruit: illa verò periphraſin dico, pluribus id verbis, quod uno aut paucioribus dici poteſt, explicat; unde circuitus loquendi, vel circumlocutio rectè à Fabio appellatur: quæ Quintiliani definitiones non ad ea ſolùm pertinere debent, quæ eadem linguâ, ſed quæ alienâ etiam παραφραστικῶς & μεταφραστικῶς explicantur. Quæcumque porro Ennius ex Homero; ex eo item, Theocrito, Heſiodo, Pindaro, Theopompo, Piſandro, Apollonio, & Parthenio, Virgilius; è Nicandro Æmylius Macer, è Menippo Varro; è Panætio Cicero in libris De officiis; è Polybio Livius: è Callimacho Lynceus; e Parthenio Niceno Ovidius; ex Hip-

Quintil. lib. 10. c. 5.

Quintil. lib. 8. c. 6. & lib. 9. cap. 1.

Hippocrate Cornelius Celſus; è Cornelio Alexandro Hyginus; ex Antimacho Papinius; ex Apollonio Valerius Flaccus; è Lucio Patrenſi Appuleius; è Nicomacho Geraſeno Boëthius in Muſicis; ex Ariſtide Quintiliano Martianus Capella; ex Scriptoribus ſacris Joſephus, & ex Joſepho Pſeudo Hegeſippus, & Gorionides mutuati ſunt, interpretationibus neutiquam videntur annumeranda: hos quippe auctores imitandos ſibi vel ſequendos, non interpretandos propoſuêre: atque formæ hujus diſceptatio minimè inſtituti ſermonis eſt. Poſteriore autem illâ, quæ in eo tantùm debet elaborare, ut interpretandum auctorem fidiſſimè ac diligenter referat, ea continentur, quæ ego è Polybio; tu, Fronto, è Chryſoſtomo expreſſimus; quæque recentiorum interpretum labore ferè videmus eſſe converſa. Ac mihi videor ſatis, quàm varia ſint interpretandi genera, oſtendiſſe; proximum eſt, ut generis ejus, de quo acturum me docui, optima ſeligatur ſpecies, & certâ quadam à me inſtitutione formetur.

III. Optimum interpretandi genus in univerſum proponitur

Optimum ergo illum eſſe dico interpretandi modum, quum Auctoris ſententiæ primùm, deinde ipſis etiam, ſi ita fert utriuſque linguæ facultas, verbis arctiſſimè adhæret interpres, & nativum poſtremò auctoris characterem, quoad ejus fieri poteſt, adumbrat; ídque unum ſtudet, ut nullâ eum detractione imminutum.

nutum, nullo additamento auctum, ſed integrum, ſuíque omni ex parte ſimillimum perquàm fideliter exhibeat. Cùm enim nihil aliud eſſe videatur interpretatio, quàm expreſſa auctoris imago & effigies; ea autem optima imago habenda ſit, quæ lineamenta oris, colorem, oculos, totum denique vultus filum, & corporis habitum ita refert, ut abſens coram adeſſe videatur; inepta verò ea figura ſit, quæ rem aliter effingit atque eſt, pulchriorem illam licèt, & aſpectu jucundiorem exprimat: id profectò efficitur, eam demum præſtabiliorem eſſe interpretationem, non quæ auctoris vel luxuriem depaſcat, vel jejunitatem expleat, vel obſcuritatem illuſtret, vel menda corrigat, vel perverſum ordinem digerat; ſed quæ totum auctorem ob oculos ſiſtat nativis adumbratum coloribus, & vel ſuis virtutibus laudandum, vel, ſi ita meritus eſt, propriis deridendum vitiis propinet. Nam quis, amabo, ejuſmodi ſpeculum laudet, muliercula modò ne ſit nimiùm ſeſe diligens, ſibíque placere volens, quod oppoſitam faciem ita diſſimulet, ut cùm os ei pallore luridum, vel macie torridum, vel nimio rubore ſplendidum objeceris; roſeum tibi vultum referat, vel ſucci plenum, vel decenti candore temperatum? Quis porro ita adornatam mulierem non derideat, nedum deperėat, quæ infucatam faciem, ſuppoſititiam comam, aſcititios dentes

2. Probatur argumentis.

dentes, ac ementitam corporis proceritatem oſtentet? Magnum profectò veritatis amorem ac ſtudium hominum mentibus indidit natura, eò trahimur omnes & rapimur, & res reliquas præ veritate poſtputamus; nec quiſquam eſt tam ſtolidæ mentis, qui ſe in errorem, blandum licèt, & placentem induci velit; qui ſe præſtigiis deludi, & offuciis excæcari patiatur; quíque mox ut os ſibi ſublitum ſenſerit, non excandeſcat. Jam verò, quid ejuſmodi ſpeculo, vel mulieri pigmentis perſperſæ ſimilius eſſe dicam, quàm adulteratam interpretationem, quæ auctori falſis coloribus venuſtatem conciliet; quæ ſtrigoſum, ut ita dicam, ſaginet; turgentis tumorem diſſolvat; ſummiſſum erigat, vel elatum deprimat? Thucydidem aliquis interpretandum ſuſceperit, ſcriptorem videlicet aptum verbis, preſſum & grandem, crebrum ſententiis, incitatum, præfractum & ſubobſcurum, ſic enim à Tullio appellatur; is autem interpres, vir nimirum aliquis naturâ volubilis, & æquabili, candidâ, ac dulci pollens eloquentiâ, Thucydidis concitationem molliat; obſcuras conciones, abditáſque ſententias uberiore ſermonis tractu diffundat; ornamenta benignè ac liberaliter adjiciat; diſſipatámque orationem numeris devinciat: tum demum lector Græcæ ignarus linguæ, Thucydidis verò evolvendi, in ejúſque adyta

penetrandi incenſus deſiderio ad ejuſmodi interpretationem accedat; Thucydidem ille quippe requiret in Thucydide, ſibíque vel fucum ab interprete factum dicet; vel candorem judiciúmve deſiderabit in Cicerone & Fabio, à quibus denſum eſſe Thucydidem, aſtrictum, ſemper inſtantem ſibi, ſententiis magis quàm verbis abundantem acceperat. Inde ad interpretandum Xenophontem, cujus lenitatem & nitorem ſatis prædicat Tullius, animum alter appellat, auſterus ſcilicet homo & gravis, conciſis frequens ſententiis, brevis, acutus, proptereáque non ſatis apertus; Xenophontem ille, non qualis eſt, ſed qualem eſſe vult, exprimat; ſuámque orationem non ad Xenophontis exemplum, ſed Xenophontem ipſum ad ſuæ inſtar orationis componat; ejus lenitatem concitet, impetum addat, Atticam denique apim, aquilam faciat: quicumque ſanè ita recoctum Xenophontem, ita larvatum viderit, is ſi germanum ſeſe vidiſſe Xenophontem ac animo percepiſſe crediderit, næ eum ſua valdè fefellerit opinio. Grandem itaque Thucydidem, ſicut eſt, ita exhiberi velim; placidum Xenophontem & ſuavem; candidum & fuſum Herodotum; numeroſum quoque, ſi fieri poſſit, Iſocratem; elatum Demoſthenem & gravem; uberem in dicendo Platonem; Ariſtotelem nervoſum; dulcem Theophraſtum; Heraclitum ipſum,

ſi

ſi extaret, tenebricoſum. Proteo denique ſimilis fiat interpres, ſeſéque in omnia rerum miracula convertat, & objectos colores omnes, chamæleonte ipſo mutabilior, transferat in ſe ac combibat. Minimè ergo diſertiſſimi illius viri ratio probanda eſt, cui cum Ciceronis copia mirificè placeret & ubertas, Ariſtotelem interpretandum aggreſſus, ſiccum quippe & tenuem, quæ breviter ab eo & obſcurè fuerant dicta, Tulliano more dilatavit. Ac cogitanti mihi ſæpenumerò ex quo fonte ea primùm profluxerit veterum corrumpendorum licentia, id mihi ad animum occurrit, innatum unicuique ſui ipſius amorem, quem aptè uno verbo φιλαυτίαν Græci appellarunt, bonarum rerum inſcitiâ ferè conjunctum ejuſmodi audaciam peperiſſe. Poſtquàm enim id morbi genus hominum mentibus inſederit, maleſana conſequi conſilia neceſſe eſt: unde temeritates eæ exiſtunt, quibus abrepta hæc ætas veterum ſcriptis numquam ſine religione tractandis profanas manus injecit, & quiſquilias ſuas ſplendidis nominibus venditavit. Dum enim de ſe bene exiſtimat interpres, & nimiùm ſibi placet, judicis ſibi facilè arrogat partes; déque auctore, ad quem convertendum acceſſerat, confidenter arbitrium facit. Quæcumque ergo ſibi non ſapiunt, reſpuit; próque iis ſua ſupponit: ſi quæ verò etiam puncto ipſius comprobata ſunt, eo tantùm

3. Unde interpretum licentia profluxerit, aperitur.

omine retinentur, ſi ita interpreti fuerit viſum, qui mentis ſuæ fœtus in alienum nidum ſerpere & legitimos ſæpe exigere patitur. Cui quidem malo ut occurratur, ea ſtirpitùs evellenda opinio eſt, quam de ſe homines, ſupra id quod in ſe eſt, mente præcipiunt; ſtili ſui immoderationem compeſcere debet unuſquiſque; alienas & antiquas præſertim ſcriptiones cautè attingere; tum interpretis demum quæ ſint partes poſtquàm exquiſitè condidicerit, eas ſemel in ſe ſuſceptas fideliter implere, nec quicquam ingenio ſuo permittere. Qui ſecùs faxit, is ardelio ſanè, non interpres; is interpolare, non interpretari dicendus ſit. THU. Ita prorſùs eſt, Caſaubone, & antea quoque putabam: quotieſcunque enim in hujuſmodi incidiſſem interpretationes; incidebam autem ſæpiſſimè, frequentes enim hoc tempore occurrunt; incautæ adoleſcentiæ tam turpiter illudi dolebam, & per quos ad ſanctæ illius antiquitatis penetralia aditum communiri decuerat, hæc objici impedimenta, viámque intercludi ferebam ægerrimè: quò magis gaudeo te hac ætate extitiſſe, qui obſtructam hanc viam non modò ingredi, ſed aliis etiam aperire auſus ſis. Hæc ad te nimirum pertinebat cura, virum Græcis, ut alia taceam, Latiniſque literis luculenter excultum; totius antiquitatis memoriâ inſtructum; præſtanti ad hæc ingenio, &, quod caput eſt, acri & incorrupto præditum judicio: ſed Ve-

Vereor coram in os te laudare amplius,
Ne id aſſentandi magis, quàm quòd habeam
gratum, facere exiſtumes.

Perge ergo, & quoniam interpretem auctoris perpetuum aſſectatorem eſſe jubes, an eum etiam paſſibus æquis incedere, & ſubſequi κατὰ πόδα, id eſt, verborum numerum pari verborum numero conſequi velis, ſtatue. CAS. Inibi eram, ampliſſime Thuane, méque illuc cogitantem antevertiſti; ſed audies ex me quod non omnibus probetur: dicam nihilominus, vos enim mihi inſtar eritis omnium millium; id quod Platoni dixiſſe Antimachum Clarium poëtam ferunt. Univerſè ergo verbum de verbo exprimendum, & vocum etiam collocationem retinendam eſſe pronuntio, id modò per linguæ, qua utitur Interpres, facultatem liceat: cùm enim Græcæ, verbi gratiâ, unicuique dictioni par altera in Latinis non ſemper reſpondeat, tum alia profectò aſciſcenda eſt aliqua, vel etiam plures, ſi ita res ferat. Cùm eundem item verborum ordinem ac ſitum Latina non ſemper patiatur lingua, quem recipit Græca, tum neceſſariò hanc dictionum collocationem pervertendam eſſe ſatis liquet. Frequentia demum alia impedimenta objicere poteſt linguarum diſſenſio ac repugnantia, quominus Auctoris ſui veſtigiis propiùs interpres, & preſſiùs inſiſtat. Auctori ergo ita interpretem ad-

4. Verbum de verbo exprimendum, & vocum ordinem retinendum, quatenus linguæ id facultas ferret.

Digitized by Google

hæreſcere, & gradibus gradus æquare volumus, patentia modò & aperta itinera occurrant. Quòd ſi ejuſmodi ſeſe dederint anguſtiæ & ſalebræ viarum, quæ comitem interpretem ab auctore duce divellant, quà proximus patebit aditus, ſpiſſus licèt & difficilis, eò confugiat interpres, ſeſéque in ſentes potiùs induat, & tribulis obſita loca penetret, quàm commodos exitus longiùs requirat. Nam ſi auctorem ab interprete detonſum & multatum conſuluero, exciderit forſitan quæſita à me ſententia; vel verbulum etiam unicum, cui momentum inerat ſententiæ. Sin fuerit adventitio excultus ornatu & auctus, corpus captans, nubem tenebo; & auctorem imitari me ratus, ſectabor interpretem. Hoc itaque generale ſcitum eſto, quod in omni interpretatione verſetur, verbum verbo, ſi fieri poſſit, referendum eſſe, nec vocum ordinem temerè deſerendum. Quod quoniam nimis latè patet, & vos aliquid à me fortaſſe ſubtiliùs diſtinctum & enucleatum expectatis, faciam deſiderio veſtro ſatis, ut potero. Imprimis igitur attendere debet interpres, quænam auctori ſuo ſubjecta ſit materia: pro argumenti quippe varietate, varietatem quoque & modum recipit interpretatio. In Scripturis ſanè ſanctis, *ubi & verborum ordo myſterium eſt*, & non magnâ arte perpolita illa conſtructio plures ſæpe fert ſententias, quarum maximam par-

IV. 1. Optima interpretandi genera ſpeciatim proponuntur.

2. Interpretatio pro materiæ varietate temperanda eſt.

partem elegantiæ ſtudium ſuccidit, verbum verbo enuntiandum fatetur Hieronymus; quamvis aliter in aliis cenſeat eſſe faciendum, nec ei ſemper ipſe præcepto paruerit. Librorum equidem ſacrorum interpretem vocem voce referre jubeo; ſi tritæ & receptæ dictiones non ſuppeditent, ad obſoletas, & ab uſu quotidiani ſermonis intermiſſas recurrat: ſin eæ quoque deficient, vocabula audeat

3. Optimum Scripturæ interpretandæ genus explicatur.

Hieron. ep. 101. ad Pammach.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis;

parcè modò, & verecundè; ea demum laudanda erit licentia. Verborum item ordinem quin retineat, neque obſcuritate, neque rudi eorum compoſitione abſterreatur. Quòd ſi ita feret caſus, ut aſcititia omnino verba recipienda ſint, diverſo ea charactere ſignentur. Articulos ipſos, linguæ modò peculiares omnino ne ſint, ſi ad rem vel minimùm faciant, cautè exprimi volo: quâ quidem in re multùs eſt Ponticus ille Aquila, in ſuâ Veteris Teſtamenti ex Ebraicâ linguâ in Græcam converſione; minuta enim quæque anxiè nimis ac ſollicitè conſectatus eſt. His porrò, ſi pauca excipias, quibus decuit, ſeſe in Novo Teſtamento terminis continuit Vetus ille & Vulgatus Bibliorum Interpres; articulos enim, prout res poſtulabat, Latinè reddidit; pleroſque atque eos ſupervacuos prætermiſit.

Incomitam quidem illam, & nullo delibutam fuco, nullis verborum lenociniis ac illecebris conſperſam, ſed nativâ quâdam majeſtate ſeſe tuentem Scripturæ ſacræ, ita ut à vetuſtis illis interpretibus converſa extat, dignitatem, adverſùs delicatorum ſuæ ætatis hominum, de verbis magis, quàm de re laborantium faſtidia egregiè tuentur graviſſimi auctores Arnobius & Lactantius. Quin & inde eveniſſe ſcripſit Hieronymus, ut cùm ex Ebræo converſa fuiſſe ſacra Volumina ignorarent diſerti homines, ad eáque accederent; ſordidam illam orationis veſtem perhorreſcentes, nobile quoque rerum ipſarum corpus levi ac præcipiti judicio aſpernarentur. Hujus verò, quam tradimus, Scripturæ interpretandæ rationis utile nobis exemplar propoſuit Santes Pagninus, vir eximiâ Ebraicæ linguæ peritiâ inſignis; ſic enim Biblia ſacra tranſtulit, ut verba verbis quaſi demenſa & paria accuratè adſonent: quam ipſius in Veteri Teſtamento operam, eruditorum quidem ſtudiis accommodatam, ſed ſi ad tirones inſtituendos conferre velles, aliquibus laborantem locis; ac pervulgatam item Novi Fœderis editionem omni abſolutione cumulavit homo de ſacris literis optimè meritus Arias Montanus. Hanc autem in ſacrorum Codicum tractatione curam idcircò, ac diligentiam deſidero, ne quid terrenum & humanum cœleſtibus his ſancti Spiri-

Arnob. lib. 1. adv. Gent. Lactant. lib. 5. c. 1. Hier. Præfat. ad Euſeb.

Spiritus oraculis allinatur; quæ quum ſelectis quibuſdam vocabulis enuntiata, & præfinito verborum ambitu concluſa, & certo ordine digeſta non ſine divino conſilio ſint; cúmque totidem in iis arcana deliteſcant, quot extant puncta; nec apicem quidem unum de Lege eradendum, donec cælum & terra abſumantur, Chriſtus ipſe pronuntiaverit; temerarius ille ſcilicet fuerit ac præſidens, quicunque divina hæc opera diſturbare, & humanæ imbecillitatis oblitus ſincerum vas incruſtare tentarit. Supparem verò ac propemodum æqualem in Patrum, Theologorúmque convertendis ſcriptis ſollicitudinem requiro; cùm iis enim Chriſtianæ Religionis præcepta, & fidei dogmata tradantur, intimáque Verbi Dei adyta reſerentur, res videlicet operoſæ ſponte ſuâ ac difficiles; proclivis enimverò fuerit lapſus, & in lubrico verſabitur interpres, ſi verba expungere, nova intrudere, ordinem pervertere, & vel latum ab iis unguem recedere audebit. Contortulam certè ſyllabam, perturbatam literulam, apicem loco motum peſtiferas hæreſes peperiſſe ſcimus; ſpiſſos errores ex ambiguè dicto fuiſſe propagatos audivimus; maximos Præſulum conventus explanandis ſæpè intricatis Patrum ſcriptis, & abditis ſententiis incubuiſſe memoriæ proditum eſt; & hos ſacræ ſcientiæ limpidiſſimos fontes profanæ eloquentiæ luto vilis

4. Patres quomodo interpretandi.

viliſ quiſque interpres oblimabit; vel quod pejus etiam eſt, obſcuram oſtentans diligentiam & importunam facundiam, damnoſæ doctrinæ virus incautis lectoribus affundet. Optimè de eâ re ſenſit Eraſmus, in hac facultate penè princeps, & cujus ſcientiam de omnibus fuiſſe cònſtat; *Mihi*, inquit, *in vertendo ſemper placuit fidelis & erudita ſimplicitas, præſertim in Hagiographis.* Sanctiſſimam ergo Theologiam, ſacræ Scripturæ, Patrúmque paginis incluſam liberali cuſtodiâ ſepiamus; &, ut formoſam ac pudicam virginem, ab interpretum licentiâ, tamquam ab intemperantium procorum impudentiâ, pro viribus noſtris, prohibeamus. Quod in Theologicis ut faciamus monet nos dignitas rerum ac religio, idem porro in aliis ut ſequamur diſciplinis, quæ Theoreticæ appellantur, & abundant præceptionibus, ſuadet ipſa earum difficultas: res enim tenues, ut cum Flacco loquar & tenui ſermone peractas ab antiquis, tenui quoque decet interpretatione veſtiri, non ἀνθηρογραφικῶς. Quis Ariſtotelis Metaphyſica, quis Euclidis Geometrica, vel Arithmetica Diophanti, vel Ariſtoxeni Harmonica, vel Apollonii Conica, vel Galeni Anatomica aut Therapeutica, aliáve hujuſmodi ornare verbis ſtudeat ac ſententiis? quis in iis eloquentiæ floſculos, & dicendi copiam deſideret? quis Archimedem De ſphærâ & cylin-

5. Qui in Theoreticis verſantur, quomodo interpretandi.

cylindro declamitantem, vel Ptolemæum de ſiderum motibus perorantem ſine cachinnatione audiat?

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Imò nec ſatis apertè res doceri poteſt, ſi luxuriet ornamentis, quæ, tamquam herbæ frugibus inimicæ, feracioribus effuſæ ſegetibus, bonas meſſes interficiunt. At rei, inquies, illuſtrandæ gratiâ, ſermonem prolixiùs diffundo: primùm, ſcholiaſten ergo agis, vel paraphraſten, non interpretem: deinde qui ſcis mentémne auctoris ſis aſſecutus? Verbum ambiguè dictum eſt, & duplicem admittit explicationem, cur in alteram illud trahis, vacuam alteram relinquis? cur ſententiæ partem lectori largiris, hunc alterâ defraudas; tuámque ſecutus opinionem, nullum conjecturæ aut privati judicii locum huic relinquis? Certè res in medio poſita ut erat, ita debuit conſiſtere, & verbum anceps ancipiti verbo reddi, ipſaque ſententiæ ambiguitas repræſentari. Fr. At verbum ejuſmodi quod rependat interpres, nullum reperit. Cas. Faciles ſumus, Fronto, accipimus excuſationem, tamen non omnia idcirco interpreti permittimus: nec id fieri volumus quod aliqui faciunt, qui, ſi in aliam transferendus linguam veniat jocus ex annominatione, vel traductione, vel ambiguo, auctorem deſerunt, novámque annominationem, vel tradu-

du-

ductionem, vel ambiguum in alterâ linguâ conſingunt: jocos enim auctoris, non tuos, ô interpres, deſideramus. Quò confugiendum ergo? eò ſcilicèt; verbum ipſum fideliter exponendum eſt; verbo incluſa ſententia ad pagellæ oram paucis eſt declaranda: ita & auctori, & lectori fidem tuam præſtiteris. Sic enim habetote, vix interpretationem ullam, quantúmvis diligentem & accuratam, propter linguarum tamen diſcordiam, notis & admonitionibus carere poſſe, quibus velut converſionis vitium & penuria ſarciantur. Priſcos quidem Latinos, quorum arte & ſtudio Romana lingua locupletata eſt, cum Græca converterent, & multiplicis ſignificationis verbum occurreret, Latinæ voci huic ex adverſo reſpondenti parem aliquando tribuiſſe poteſtatem eruditè obſervavit Henricus Stephanus ſocer meus, quem honoris cauſâ nomino. Quod illi in ſuâ auſi ſunt, idem nobis in alienâ & deſuetâ linguâ attentare minimè licet: ne in noſtrâ quidem, niſi favente uſu,

Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Sed ambigua, & reliqua ejuſmodi in Theoreticis, de quibus agimus, perrarò occurrunt: longè verò frequentiora ſunt apud hiſtoricos & oratores, ad quos accedemus, poſtquàm de grammaticis diſſeruerimus paucula quædam. Horum interpretandorum ex ſuperiùs

dictis

dictis proclivis eſt & aperta ratio: cùm enim, ut diximus, ornatum omnem reſpuat oratio referta præceptis; pura Grammaticis & ſimplex interpretatio adhibenda eſt, Technicíſque etiam reliquis, qui artem aliquam legibus definiunt: ſi quis enim interpres vel Phrynichi, vel Thomæ Magiſtri Eclogis, aut Hephæſtionis Enchiridio venuſtatem arceſſere contendat; rem faciet profectò ridiculam & jocoſam. Hiſtorici quoque ne interpolentur, cautio eſt; veritas quippe illecebris ſermonis infuſcatur, quam interpres præſtare integram debet: auctorum præterea omnium, uti ſuprà docuimus, ſed hiſtoricorum præſertim characterem ita retineri decet, ut in interpretatione etiam eluceat, quem vel minima inducet, & obliterabit diſcrepantia. Superſunt oratores & poëtæ: in prioribus ſanè illis pauxillum aliquid, pauxillum modò, interpreti per me liceat; ne vos nimia hæc fortè offendat moroſitas. Cùm eorum quippe ars omnis non in rerum ſolummodò ſplendore, ſed aptâ etiam verborum connexione conſiſtat, atque ſint apud illos,

6. Optimum aſſertur Grammaticorum & Technicorum reliquorum interpretandorum genus.

7. Tum Hiſtoricorum.

8. Oratorum.

Sic lepidè lexeis compoſtæ, ut teſſerulæ omnes
Arte, pavimento, atque emblemate vermiculato;

res ipſas, quarum ante omnia habenda ſemper ratio eſt, præcipuè ſpectabit interpres; tum inſigne illud & florens, & ſonorum, & arti-

artificioſum dicendi genus referre conabitur, integris id modò ſententiis facere poſſit, perpaucis, vel potiùs nullis de ſuo inſertis vocibus, paucioribus etiam de vivo reſectis; diſtorto duntaxat aliquantulùm ordine verborum, qui ſi parem in utraque linguâ condecentiam repræſentaſſet, omnino fuerat retinendus: ſecù eſt autem, eodem enim ſervato dictionum ordine ad nihilum recidit numerorum concinnitas, quam tantâ contentione aucupatur orator, & niſi paulùm commutatâ verborum collocatione in quadrum redigatur diſſipata oratio, perit aptum illud, efficitúrque diffluens aliquid & ſolutum: ea eſt diſſenſio linguarum & viciſſitudo. Tanti autem ordo ille non eſt, ut præ eo venuſti oratoris benè ſtructam compoſitionem, qua orationis magnâ ex parte conſtat abſolutio, diſſolvamus. Atque utinam eamdem in convertendis poëtis, qui oratoribus finitimi ſunt, veniam interpretibus dare poſſemus: quod neutiquam ſanè licet, aſtrictiores enim ſunt numeris poëtæ, & præfinitis ſyllabarum modulis illigati. Vel prorſâ ergo oratione, vel vorſa in alteram linguam transfunduntur. Si poſterius hoc, ad aliam referendum eſt interpretandi formam, quam nihil ad hoc inſtitutum pertinere ſuprà diximus; nec enim nimia patitur linguarum diſſimilitudo, ut ſalvis iis, quas ſtatuimus, interpretandi legibus,

9 Et Poëtarum.

ver-

verſus verſui refundi queat: longiùs quippe excurrere, & in remotas plus æquo, ac diverſas partes evagari neceſſe eſt. Cum ergo & obſequi legi numerorum, & verborum verbis æquandorum fidem retinere tentaſſet imperitus Homeri Interpres Attius Labeo, defecit in ſententiis, quas præ cæteris debuerat conſectari. Itaque Perſii carminibus proſciſſus eſt. Si prius illud, cur verbum verbo non reddatur, cauſa nulla eſt: neglectâ enim hac dictionum circumſcriptione, quam poſtulat verſus, quamque amitti neceſſe eſt, proximum eſt illud, ut vocum ſaltem ordinem ac numerum obtineamus, Poëtámque exhibeamus arbori ſimilem, è qua frondes hyemis quidem inclementia excuſſit; ramis tamen, trunco, & radicibus pepercit. In eo porro minùs licenter graſſata eſt adhuc interpretum audacia; maxima quippe poëtarum Græcorum pars ſatis accuratè converſa extat. Atque hunc vertendorum poëmatum morem dum carpit Humfredus, in eo quem de ratione interpretandi reliquit commentario, quantum ipſe carpendus ſit tum profectò intellexiſſet, ſi ſuo more ea vertere, & nativos Homeri, alteriuſve lepores, quos conſequi ſane omnes verbis adſtrictus interpres non poteſt, frigido ac inamœne ornato, falſo certe & adventitio rependere tentaſſet. Cæterum geminam hanc, vel adſtricto, vel ſoluto ſermone inter-

Laur. Humfr. de rat. interpr. libr. 1.

Hier. de opt. gen. interpr. Girol. Catena ſopra la tradutt. terpretandi rationem non ſatis diſtinxit Hieronymus, neque Italus ille Catena, qui eas quas ponimus interpretandi leges erudita diſſertatione propugnare inſtituit. Quamobrem poëticas quaſdam veterum interpretationes propoſuerunt in exemplum, quæ nihil ad eas, quas tuebantur, omnino pertinebant. Expoſui, Viri eruditi, meam de optimo genere interpretandi ſententiam, eámque vobis ut approbarem, rationibus perficere contendi: jam verò, ut viâ & ordine noſtra procedat oratio, quid in antiquis opinioni noſtræ præſidii poſitum ſit, videamus: niſi aut ad hæc dicere vultis aliquid, aut jam nimis apud vos, commentatus ſum. Thv. Nequaquam verò, Caſaubone, tua nobis oratio longa videri poteſt, ut etiam pro Frontone hoc reſpondeam: ita enim, ut ſemper aliàs, ſic hodie iſta tenere viſus es, ut nullus jam ferè dubitationi locus ſuperſit. Me quidem, & ſi argumentum afferres nullum, tua frangeret auctoritas: at contrà tamen fort[illegible] pertendet aliquis, opinioſus videlicet, & præjudicatæ ſententiæ tenax; cùm iis præſertim, quæ antè expoſita ſunt, paulum etiam nunc deeſſe videatur, quod tibi antè explicandum ſit, quàm illuc pergas, quò te cogitare dixiſti. Cas. Quidnam illud eſt? Thv. Tacitus citiùs audies.

V. I. Contrariæ rationes objiciuntur. Præceptis primùm tuis parùm ineſſe dicet auctoritatis ille, quem fingimus, Diſputator, qui-

quibus ne tu quidem in Polybii, & longè etiam minùs in Theophraſti Characterum interpretatione parueris; remiſſiùs enim, non adſtrictè, nedum ad verbum, auctores te tuos fuiſſe affectatum, fidum te licèt, & perpetuum iis comitem præbueris. Ea deinde neutiquam inter ſe cohærere contendet, quæ à te ſancita ſunt; nec ullâ enim arte fieri poſſe, ut nativus auctoris exprimatur character, ſi verba verbis remetienda ſint, & idem utróbique ordo retineatur & collocatio: quæ enim Græcorum ſtructura verborum ad aures jucundè accidet, eandem in Latinis inamœnam fore, delumbatam, ac titubantem: proinde igitur vel à verbis & ſyllabis, earúmque ſitu recedendum; vel ipſam certè auctoris formam ac indolem eſſe omittendam. Nimii præterea te rigoris ac ſeveritatis arceſſet, qui leges feras ipſis Draconis legibus, vel Manlianis imperiis acerbiores; nec iis enim quemquam, morigerum licèt & obſequentem, parere poſſe: plurimùm ſiquidem ſingulas inter ſe diſcordare linguas, cùm vocabulorum numero & ſignificatione, tum generum, caſuum, ac numerorum diſſimilitudine; articulorum, provocabulorum, nominum inflexione & copiâ; conjugationum multitudine; temporum ac modorum ubertate; varietate figurarum; verborum conſtructione, & totâ ipſâ denique analogiâ; articulis abun-

dare Græcos & Gallos, eorum inopes eſſe Latinos; perpaucas iis omnibus eſſe conjugationes, quarum feraces ſint Ebræi; Arabes etiem feraciores: aoriſta & activa præteriti temporis participia eſſe apud Græcos, quæ apud Latinos deficiant: nulla ergo quantávis ingenii facultate, nullo linguarum uſu ac notitiâ perfici poſſe, quin ab auctore ſæpiſſime interpres abjungatur. Hûc accedit eſſe quædam uniuſcujuſque linguæ propria (idiotiſmos Grammatici appellant) quæ in alienum transfuſa ſermonem, perridicula ſint, vel novam obſcuritatem invehant, niſi longiore verborum circumſcriptione temperentur: nam ſi Græcorum, puta, proverbia iiſdem verbis Gallicus reddat interpres, turpiter ſine dubio ſe dabit, & de ſe ludos faciet. Hieronymi pronuntiatum eſt, *Difficile eſt alienas lineas inſequentem non alicubi excidere: & arduum, ut quæ in aliena lingua bene dicta ſunt, eumdem decorem in tranſlatione conſervent. Significatum eſt aliquid unius verbi proprietate, non habeo meum quo id efferam: & dum quero implere ſententiam, longo ambitu vix bravia ſpatia conſumo. Accedunt hyperbatorum anfractus, diſſimilitudines caſuum, varietates figurarum, ipſum poſtremo ſuum, & ut ita dicam vernaculum linguæ genus, ſi ad verbum interpretor abſurde reſonant: ſi ob neceſſitatem aliquid in ordine, vel in ſermone mutavero, ab*

Hier. Proœm. in Euſeb. Chron.

inter-

interpretis videbor officio receſſiſſe. Quæ ſententiam tuam plane jugulant. Sed & hæc ejuſdem in Rufinum: *Omnis metaphora, ſi de aliâ in aliam linguam transferatur ad verbum, qubuſdam quaſi ſentibus, orationis ſenſus & germina ſuffocantur.* Eadem eſt ad hæc non linguarum omnium inter ſe diſcrepantia, & ab Ebræis, verbi cauſâ, Latina longiùs, quàm à Græcis recedunt; nec eadem proinde ad quaſlibet interpretationes lex pertinet. Adde neminem eſſe tam obeſæ naris, & ſtupidi uſque adeo ſtomachi, qui expreſſam ad verbum ejuſmodi interpretationem, fluentem ſcilicet, idſſipatam,& inconditam ſine nauſeâ poſſit attingere: ut ad eam ergo accèſſerit lector, quàm voles, obſtinatus & χαλκέντερος, ut longas trahet oſcitationes, ut languor obrepet & faſtidium, víxque tandem ſomnum tenebit: & quem vel minimo auctoris apice fraudare religio erat, ei auctorem ipſum excutiet interpretationis injucunditas; ac promiſſi denique & ſperati fructus nimiâ interpretis diligentiâ intercident; quos ſanè, eóſque uberes percepiſſet, ſi aurium delectationi morigerata fuiſſet oratio. Hæc nimirum, aliáve his conſimilia ſententiæ tuæ opponet pervicax ille adverſarius, quæ quomodo expedias avidè expecto. CAS. Cùm te cauſæ noſtræ favere ſentiam, clariſſime Thuane, adverſarii ſanè illius, cujus tu perſonam geris, impetum confidenter ſuſtinebo: quòd

Hieron. lib. 1 in Rufin.

2. Objecta argumenta diluuntur.

ſi deficiam, te mihi ſuccenturiatum, quando ita præ te fers, meminero, téque ipſum optionem ſumam. Et priorem quidem qua laceſſitus ſum, petitionem, parvâ declinatione effugiam. Quæſiviſtis à me initio ecquòdnam mihi maximè probetur interpretandi genus, non quale ipſe proſecutus ſim; nam quacunque de arte ſermo habetur, de optimâ & abſolutâ vulgò quæri ſolet. Is ergo fortaſſe, quem vobis informavi, interpres, numquam fuit, fortaſſe nec erit, nec vos talem ut aliquem oſtenderem poſtulaſtis. Optimi itaque interpretis exemplar vobis effinxi, quod imitandum proponat ſibi, quicumque animum ad hanc interpretandi artem convertit. Quod in aliis porro deſidero, id ipſe nequaquam fortè aſſecutus ſum, tentavi quidem ſæpiſſimè: & facultatis profectò hujus ſi non perfectionem, at extare tamen aliquam adumbrationem in Polybianâ meâ interpretatione præſtare poſſum. Fateor præterea; quid enim diſſimulem? aliquid me ætati huic condonâſſe, méque meliora & vidiſſe & probâſſe, deteriora nihilominùs aliquando fuiſſe ſecutum; dixi, aliquando; id enim ferè ubique ſtudui, ut Græcis Latina conſonarent; proxima fuit cura, ut, ſi modò poſſem, Latinitati conſulerem: quod in prolixâ certè illâ, qua totum opus maximo Regi conſecravi, epiſtolâ, non inaniter jactâſſe videor. Alterâ deinde ratio-

ne

ne hac in me incurrit argutator ille tuus, diſſentire inter ſe leges noſtras, cùm verborum ſtructuræ ac conformationi retinendæ ſimul, & auctoris nativo colori exhibendo ſervire nequaquam poſſit interpres, quæ duo à nobis deſiderabantur. In promtu vero eſt & expedita defenſio: ſuus quippe eſt unicuique linguæ attributus character, ac, ut ita dicam, genius, quem in aliis fruſtra requiras; quemadmodum à tuo diſputatore, Thuane, rectè obſervatum eſt: quæ ergo vocabulorum diſpoſitio in Ebræis ſonorum aliquid exprimet & grande, eadem fortaſſe apud Latinos demiſſum aliquid & humile ſonabit: quòd ſi utrumque ita retinere contendet interpres, ut nihil effluat, perinde erit ut ſi Alexandri vultum ære ſimulans Lyſippus, colorem quoque eadem arte, cutis mollitiem, calorem, oris halitum, labiorum palpebrarùmque motum referre ſtuduiſſet. Et verò optandum foret, ut utrumque interpretando conſequi poſſemus; quod quoniam optare quidem fas eſt, ſperare certè vix licet, alterutro ſæpiſſime debemus eſſe contenti. Quemadmodum autem, ne à propoſito recedamus exemplo, reliquis neglectis, quæ ars ſua præſtare, non poterat, in unâ partium collocatione, dimenſione ac convenientiâ, qua potiſſimùm ſimilitudo conſtat, referendâ, tota Lyſippi verſabatur induſtria; in iiſque accuratè expreſ-

ſis, ipſa oris elucebat figura & indoles: ita ſimilem præcipuè vocum ſignificationem ac compoſitionem perſequi interpres debet; quæ quum diligenter relata fuerint, tum certè nativus ſeſe Auctoris ſponte ſua ita efferet character, ut ſi non expreſſum accurate, at adumbratum poſſis agnoſcere. Quum ergo & parem vocabulorum conſtructionem, & ſimilem formam ſeu colorum ab interprete requiſivi; inſanam hanc hominum quorumdam licentiam coërcere volui, qui uno eodémque ſtilo, ſuo videlicet, eòque vel facili, & diffuſo; vel grandi & preſſo, diſſimillima quæque dicendi genera convertunt & interpolant, libróſque nobis ſuo judicio bonos, meo quidem peſſimas interpretationes obtrudunt. Thy. At ſatius id fuerit fortaſſe, quàm bonas quidem interpretationes, peſſimos verò libros obtrudere. Cas. Quaſi bona interpretatio non bonus liber eſſe poſſit. Auctorem itaque ſuo inſignem charactere, & primo agnoſcendum intuitu referri oportere dixi, quod ut faciliùs aſſequatur interpres, à verbis nullo modo, ſi fas erit, recedendum eſſe docui; cùm ea demum tutiaſſima ſit ſive habitus, ſive formæ, ſive coloris, ſive indolis effingendæ ratio. Attendiſſet præterea is, qui à te mihi objectus eſt, reprehenſor, quàm cautè hæc à me, ſubtilitérque diſtincta ſint, quæ de vario interpretandi modo, pro ma-

materiæ auctori ſubjectæ varietate diſſeruimus: nam qui in convertendis ſacræ Scripturæ libris elaborat, verbis verba dimetiri debet, neglecto admodùm colore, qui vel in renumeratis interpretationis, & æquatis verbis ſatìs ſplendeſcet; Pagnini enim converſio ad verbum licèt exacta, ruſticum tamen Amoſum & impolitum; ſuavem Eſaiam, diſertum, & æquabilem exhibet: vel ſi evaneſcat color ille, levem hanc æquo animo jacturam feremus, ad quos longe ampliſſimum redit atque uberrimum interpretationis hujus emolumentum. In Patribus quoque, Philoſophis, Mathematicis, Technicis, iíſque potiſſimùm, qui in magnâ rerum ſubtilitate verſantur, majorem verborum, quàm characteris rationem haberi volui; in verborum enim ordine ac numero ferè character ille conſiſtit: characterem autem unum ſi perſequare, fortaſſe non aſſequare, verba quidem certè non comparebunt. In Oratoribus verò non eſt, opinor, quod deſiderare poſſit quiſquam, adeò benigni fuimus & liberales. Quod ad Poëtas, attinet, quoniam ſolutâ numeris oratione poëticus ille color ab interprete neutiquam retineri poteſt, cur excurrat interpretatio planè non video. Me porro ſeveritatis & duritiei cùm inſimulavit corrector ille, factum ab eo ipſo eſt duriter & illiberaliter; nihil enim eſt

Quin malè narrando poſſit depravarier:
Id quod boni eſt, excerpit, dicit quod mali eſt.

Eâ enim lege auctori volumus interpretem adhæreſcere, ſi linguæ id facultas, quâ utitur ipſe, permittat: ſi aoriſta ſanè Græcorum, vel multiplices illas Ebræorum, Arabúmve conjugationes in interprete Latino deſiderem, iniquus quippe ſim & ineptus: ſi vox ejuſmodi incidat, cui parem non reperiat interpres, novam equidem minimè confingi velim: id in transferendis forſitan ſacræ Scripturæ voluminibus aliquando, rarò tamen, & urgente ſolùm neceſſitate per me liceat; quod non infeliciter profectò Ariæ Montano videmus proceſſiſſe. In aliis autem quotieſcunque ejuſmodi difficultates occurrent, ad proximæ ſignificationis verba, vel etiam ad periphraſim, temperatam modò & pudicam confugiat. Sin obvium ſe det linguæ idiotiſmus, παροιμιώδης puta dictum, vel metaphora; aliam metaphoram, vel proverbium comminiſci interpretem nolim: verba ipſa referat; verborum ſignificationem; uti de ambiguo, aliiſque ejuſmodi diximus, ad limbum, vel in notis breviter exponat. Hinc efficitur porro, pro linguarum diſſimilitudine magis magíſque ab Auctore neceſſariò divelli interpretem, ac divagari. Quòd verò in extremâ oratione oſcitantem lectorem ac ſomniculoſum adduxiſti, equidem delicatos eos non mo-

ror

ror ac faſtidioſos homines, quorum nihil probat palatus,

niſi laterculos,
Seſamum, papaverémque, triticum, & frictas nuces:

quibus rebus non adoleſcentulos ſolùm exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, ut ſcripſit Arbiter ille Petronius, ſed maturâ etiam ætate, at imbecilli animo viros, & propemodum puerili. Fruſtra ergo culpatur ille cibus, qui in ægrum demiſſus ſtomachum coaceſcit. Hæc habui, optime Thuane, quibus diſputatoris noſtri impreſſionem & argutias amolirer: is ſi inſtare pergit, nos animum non deſpondebimus. Thv. Minimè ſanè, receptui enim cecinit; mihi verò planè iſta probas, quæ dicis, Caſaubone, tibíque vehementer aſſentior; ſed cave ne feſſo tibi integrum aliquem adverſarium objiciat iſte Fronto. Fr. Objiciam verò, & ne te ex inſidiis fortè circumventum dicas, tantò antè denuntio: tu modò, quoniam ab antiquis auxilia expectare te dixeras, copias coge, ego enim non exiguo indidem collecto agmine tecum prœliabor. Cas. Animo igitur virili & præſenti ut ſimus, providendum eſt, quando adeſt adverſarius, & fortis, & armatus, qui gladiatorio animo viam ad nos affectet, quíque & feriendus ſit, & repellendus. In primâ itaque acie Septuaginta Scripturæ ſacræ interpretes collo-

VI. 1. Optimum interpretandi genus propoſitum confirmatur exemplo Septuaginta Interpretum.

cabo, à quibus tam fideli curâ divinos hóſce libros, támque exactâ diligentiâ fuiſſe converſos accepimus, ut verba verbis, propria propriis accuratè reſponderent, & mirabilis eſſet rerum omnium, verborúmque conſenſus. Fr. Eóſne, quos hodiéque ſexcentis locis ab Ebraïcâ veritate diſcrepantes deprehendimus? Cas. Atque utinam, Fronto, intacta hæc ad nos interpretatio, & integra perveniſſet; res ipſa faceret fidem: verùm tam multis eam locis deformatam & corruptam ſuis jam temporibus fuiſſe paſſim conqueritur Hieronymus, ut diverſa planè ac inter ſe pugnantia ejus circumferrentur exemplaria: ſive, depromtorum è Theodotionis converſione locorum complurium facta ab Origene ad Vulgatam Septuaginta Seniorum interpretationem acceſſio, deletis poſtmodùm obelis, & aſteriſcis, id vitii invexerit; ſive illud è Judæorum temeritate & perfidiâ, à quibus multis locis corruptam fuiſſe Septuaginta Interpretum Editionem tradunt Juſtinus, & Origenes; ſive è librariorum incuriâ, ut innuit Hieronymus; ſive è diuturnâ temporis longinquitate ortum ſit. Pro germanâ ergo hac Septuaginta Senum Editione, quodcumque illud eſt interpretationis, quod nunc extat, haberi à nobis nullo modo poteſt. Ac verò tametſi nulla alia id evincerent argumenta, portentoſa ſanè illa codicum manuſcriptorum,

Juſtin. Dial. cum Tryph. Origen. homil. 16. in Jer 17. 1. Hieron. Præfat. in Paralip.

rum, qui hodie ſuperſunt, necnon Complutenſis Editionis, Venetæ, Germanicarum, ac Sixtinæ diſſenſio, veterem hanc Seniorum Septuaginta interpretationem, non ſinceram & integram, ſed paſſim adulteratam ad nos perveniſſe ſatis declarat. FR. Quî nobis ergo accuratam illam, quam prædicas, antiquæ hujus interpretationis cum Ebræis convenientiam ac concentum approbabis? CAS. Philonis ſcilicet, & Joſephi locupletum auctorum teſtimonio ac fide, quorum hic interpretationem ἀκριβῆ ab iis concinnatam fuiſſe docet; ille, συνενεχθῆναι εἰς ταυτὸ κύρια κυρίοις ὀνόματα, τὰ ἑλληνικὰ τοῖς χαλδαϊκοῖς, ἐναρμοσθέντα εὖ μάλα τοῖς δηλουμένοις πράγμασι. Accedit præterea Ariſteæ auctoritas, quâ equidem utor eò invitiùs, quòd à Judæis Helleniſtis hoc nomine conſutum eſſe librum hunc eruditè nuper oſtendere conatus eſt in Euſebianis Animadverſionibus Scaliger ille ὁ πάνυ. Verumenimverò quamvis cætera ineptiret auctor ille, & mendaciis eſſet confictus ac dolis, ab eóque deluſi Philo & Joſephus falſa quædam de Septuaginta ut ibidem diſputavit Scaliger; quod ad interpretationis certè cum Græco conſenſum attinet, popularibus ſuis imponere nequaquam potuit veterator ille Judæus, quorum in manibus Ebræa exemplaria, & Græca Septuaginta Senum Editio verſabantur. Longè autem minùs Philonem & Joſephum

Phil. lib. 2. de vitâ Moſis.
Joſeph. Antiq. lib. 12. cap. 2.

phum in fraudem deinde potuit illicere, viros aſſiduâ Scripturarum lectione & uſu detritos. Ipſe etiam Hieronymus Interpretum Editionem, quæ in Origenianis Hexaplis integra ſervata eſt, ita cum Ebræis conſpirare docet, ut quidquid ab eâ diſcrepet, ab Ebræorum auctoritate procul dubio diſſentiat. Conſpirare dicit cum Ebræis, quantum ſcilicet pati poteſt nativa linguæ utriuſque diſcordia, quæ talis eſt ut in maximo conſenſu non levem differentiam intercedere neceſſe ſit, quod iterum vos monitos velim. Agnovit id Siracidæ nepos, Eccleſiaſtici interpres: nam propter linguæ Ebraicæ, aliarumque linguarum diſſidium, ſe in verbis referendis defeciſſe fatetur in Operis Prologo, atque id ipſum legis & Prophetarum Interpretibus contigiſſe, factumque excuſat. Poſt egregiè navatam à Senioribus Septuaginta in transferendis ſacris voluminibus operam, qui primus idem negotium ſuſcepit, is fuit Aquila Sinopeus, è Chriſtiano Proſelytus Judæus, Hadriani Imperatoris, ſi Epiphanio credimus, πενθερίδης, hoc eſt, *ſoceri, ſocruſve filius*, quâ enim voce id verbi exponam, non habeo. Hunc de verbo verbum tam religioſè expreſſiſſe teſtificatur Hieronymus, ut duarum, quas dedit, interpretationum poſterior, à Judæis κατ' ἀκρίβειαν diceretur: eam quidem reliquis ipſos antepoſuiſſe Auguſtinus affirmat. Vel ipſum

Hieron. Epiſt. ad San. & Fretell.

2. Aquilæ.

Epiph. an de Ponder. & Menſur. N. 14.

Hieron. in Iſ. 49 Oſ. 2. Hab. 3. Epiſt. ad Dam. quaſt. 2. Epiſt 101. cap. 4.

ipſum Geneſeos initium is ita interpretatus eſt, *Auguſt. de*
ut religionem ſuam in efferendis verbis fronte *Civit. Dei*
ipſâ comprobare voluiſſe videatur: בראשית *lib. 15. cap. 23.*
ſiquidem reddidit, ἐν κεφαλαίῳ, ut ipſam vo- 3. Theo-
cis originem, ראש, hoc eſt, κεφαλή, indi- tionis.
caret. Tertia divinorum Bibliorum in linguam Græcam converſio auctorem habuit Theodotionem Epheſium, Judæum & ipſum Proſelytum: Septuaginta ille interpretum veſtigia perſecutus eſt, & tritæ ab ipſis orbitæ inſtitit; ac proinde, quin Ebraicis arctè adhæſerit, dubitatio nulla eſt, ut pote quæ à Senioribus Septuaginta tantâ curâ probaverimus fuiſſe relata. Certè in Scripturæ interpretatione nullum ex ejus ſimilibus majori fide fuiſſe verſatum ſcribit Epiphanius; *Epiphan.*
& verò quiſquis adornatam ab ipſo Danielis *de Ponder & Menſ.*
interpretationem, quæ hodiéque extat, & jam ante Hieronymum in Eccleſiis Chriſti legebatur, cum ipſo archetypo pertenderit, Theodotionis fidelem in convertendo diligentiam pluribus ſibi probari neutiquam poſtulabit. In eâdem quoque interpretandæ 4. Sym-
palæſtrâ bis induſtriam ſuam nobilitavit Sym- machi.
machus Ebionita; qui quantâ fide Ebraica in Græcum transfuderit ſermonem, ex ſparſis paſſim in commentariis Patrum ipſius reliquiis facilè poteſt judicari. Nec dubito quin ſi Hexapla Origenis ad nos ſeries annorum tranſmiſiſſet, parem in Hierichuntinâ inter-

pre-

pretatione, & Nicopolitanâ, à Judæis utraque lucubrata, ſedulitatem animadverteremus: in iis quippe reliquíſque ſuperioribus, Ebræorum ſenſus, verba, phraſis, & conſtructio tam ſollicitè erant refuſa, ut qui eas legeret, non Græca, ſed Græcè expreſſa Ebraica legere ſe putaret. Unde noſtrâ ætate quibuſdam placuiſſe ſcimus, non Græcâ conſcriptas fuiſſe illas interpretationes, ſed Helleniſticâ linguâ; cui linguæ, ut nuper à ſe excogitatæ ita recens à ſe confictum nomen, & ab Helleniſtis, quorum in Actis meminit Lucas, detortum impoſuerunt. Quaſi Græca loquela, quòd impura fortaſſe ſit, & Ebraiſmis aliquibus inquinata, jam Græca eſſe deſinat. Cum verò antiquam Septuaginta Senum Editionem, jam fœdatam mendis & adulteratam varie pro captu ſuo correxerunt ac recuderunt Heſychius, non Hieroſolymitanus ille, ſed monachus Hilarionis ſocius; Lucianus martyr, & Euſebius ac Pamphilus; quos omnes libris ſuis Hieronymus celebravit; ad Ebraica illam exegiſſe, fidemque eorum quibus adhærebant Interpretum & probaſſe & retinuiſſe manifeſtum eſt. Promtæ ſunt & expeditæ horum probationes, ſed non committam ut ſus Minervam doceam; id quod eſt in Proverbio. Quid nunc Samaritanam, quid Syriacam, quid Æthiopicam, vel Perſicam Scripturæ interpretationem commemorem, quarum

Hieronym. Præf. in Paral.

5. Samaritanæ, Syriacæ, Æthiopicæ, & Perſicæ Interpretationis Scripturæ.

rum abſoluta eſt in annumerandis verbis, & exæquandis ſententiis accuratio? Potius eſt ut ad Latinas, quæ tritiores ſunt apud nos, accedamus: quem quidem locum celeritate perſtringam. Eſt apud Hieronymum & Auguſtinum multas ſuâ ætate, ac propè innumerabiles Bibliorum interpretationes Latinas, ex Græcis deductas, à ſemidoctis immani audaciâ perperam confictas extitiſſe: unuſquiſque enim mox ut aliquam in Græcis & Latinis facultatem comparaverat; illotis ſtatim, quod ajunt, manibus ſacra contingebat. At ſole ea fermè id temporis erat in pretio, quæ Itala, & Vulgata dicebatur; cæteris autem anteponendam eam volebat Auguſtinus id quod & verborum tenax erat, & perſpicua ſententiis. Illâ porrò tempeſtate majorum laboribus neutiquam acquieſcens Hieronymus, vir multiplici eruditione, & plurimarum cognitione linguarum inſtructus, & Scripturæ evolutione ſubactus, ad novam procudendam interpretationem animum adjecit: & felici quidem ſucceſſu; poſtquàm enim duplicem converſionem, alteram è Græco, quam Veteris emendationem duntaxat quidam fuiſſe volunt, ex Ebræo alteram procuravit; non in Eccleſiam ſolùm jam ante Gregorii Magni ætatem poſterior illa recipi merita eſt; ſed ex eâ etiam & Italâ illâ veteri, quæ priùs obtinebat, una demùm conflata eſt, quæ hodiéque ſub Vulgatæ

Hieron. Præfat. in Joſ. & in Evang.

Auguſt. lib. 2. de Doctrin. Chriſt. c. 11.

6. Italæ.

Auguſt. lib. 2 de Doctr. Chriſt. c. 15.

7. Hieronymianæ.

Gregor. Magn. Epiſt. ad Leandr. cap. 5.

gatæ Editionis nomine paſſim uſurpatur. Ac tametſi illam Hieronymi interpretationem, ipſis etiam Ebræis fatentibus veracem eſſe non ſcripſiſſent Auguſtinus, Gregorius, & Iſidorus, proptereáque reliquis fuiſſe antelatam, quòd verba tenaciter conſectetur, & magnam nihilominus claritatem præ ſe ferat; utrumque profectò, eâ cum Ebræis contendendâ facilè appareret. Aliæ quoque ſunt utriuſque Fœderis interpretationes, quarum auctoritas ſententiæ noſtræ robur conciliare poſſet; ſed in eas alius erit inquirendi locus, & nobiliores illas in exemplum propoſuiſſe hoc tempore ſatìs eſſe puto. Cæterùm quam transferendi viam ſuprà laudatos interpretes tenuiſſe diximus; eandem hanc præcipuè ſanctis Eccleſiæ Patribus placuiſſe conſtat. Quid ego vobis nunc unumquemque nomine appellem, cùm id tu, erudite Fronto, tot jam annorum uſu in eorum lectione exercitatus optimè om-

Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei c. 42. & Epiſt. 88 ad Hieron. Greg. lib. 20. Moral. cap. 23. Iſidor. lib. 6. Orig. cap. 4.

8. Euſebii. nium noris? Nec enim te fugit, quam ſit accuratus in interpretando Euſebius, qui quæcunque fere affert ex Scriptoribus exoticis, ad verbum repenſis vocibus ipſis exponere ſe denuntiat. Si qua verò ex iis depromit Auctorum operibus, quæ ſuperſunt, eum agnoſcimus tenere morem, quem tenendum eſſe ſancimus. Quod ſi me ejus, aliorumque deficeret auctoritas, unus reliquorum inſtar

9. Auguſtini. eſſe poſſet Auguſtinus. Is Libro altero de Doctri-

Doctrinâ Chriſtianâ, dum viam monſtrat, quâ ad germanos Scripturæ ſenſus iri poſſit; aut ad ipſos fontes, Ebraica nimirum vel Græca exemplaria recurrendum eſſe docet; aut ejuſmodi habendas interpretationes, quæ ſe verbis obſtrinxerint: ut ex iis videlicèt aliorum error caſtigetur, vel libertas, qui non verba, quàm ſententias interpretando ſequi maluerunt. Interpretes deinde reprehendit, Latinitatis quidem ſtudioſos, at ipſi interim vim inferentes ſententiæ, vel apud eos certè offendentes, qui plus rerum veritate dilenctantur, quam fuco verborum, ipſarúmque etiam ſignis ſuam quandam ſibi integritatem ſervari volunt. Pluribus poſtremò ambitioſum & ſubmoroſum elegantiarum amorem coërcet, verborúmque deſcriptionem etiam cum ſtribliginibus retineri velle ſe profitetur. Locum integrum legite, quæſo, ſtudioſè. Quam autem in Sacris Voluminibus explanandis præmonſtraverat viam, eamdem ipſe tenuit, cum ſententias, ac totas etiam diſſertationes ex ſanctis Patribus, vel Ethnicis Scriptoribus proferret. Hanc porrò ipſius de exponendæ Scripturæ ratione ſententiam reliqui fermè Patres in explanandis liberâ oratione Chriſtianæ Religionis myſteriis tenendam quoque exemplo ſuo declararunt. Par eſt item Ambroſii, & Gregorii Magni ſententia, quorum

Auguſt. lib. 2. de Doctrin. Chriſt. cap. 13. & 15.

D ver-

verba fuerit operæ pretium referre; vos me, ſi placet, recitantem audietis: *Agnovit enim bos*, inquit Ambroſius, *poſſeſſorem ſuum, & aſina præſepe domini ſui: imò præſepium dixerim, ſicut ſcripſit qui tranſtulit; nihil enim apud me diſtat in verbo, quod non diſtat in ſenſu. Nam ſi orator illorum, qui phaleras ſermonum ſequuntur, neget in hoc fortunas poſitas eſſe Græciæ, hoc an illo verbo uſus ſit, ſed rem re ſpectandam putat; ſi ipſi Philoſophi eorum qui totos dies in diſputatione conſumunt, minùs Latinis eo receptis uſi ſermonibus ſunt, ut propriis uterentur, quanto magis nos verba negligere debeamus, ſpectare myſteria, quibus vincit ſermonis vilitas, quòd operum miracula divinorum, nullis venuſtata ſermonibus, veritatis ſuæ lumen refulſerunt.* Verba negligenda ſciſcit, ſpectanda myſteria; nec apud eum diſtat in verbo, quod non diſtat in ſenſu: non quòd verba verbis renumerari nolit, ſed quòd verborum munditiam ac delectum ſacra tractantibus volumina ſpernendum velit: ſplendida verba repudiat; propria requirit, nec, quæ minùs Latina ſunt, repellit: nedum, oſtentandæ facundiæ, contextum, contextúſve dictiones, quibus totidem ſignificantur myſteria, deſeri jubeat. Gregorius verò, loca enim memoriter teneo, *Non jotaciſmi colliſionem fugio*, inquit, *non barbariſmi confuſio-*

10. Ambroſii. *lib. 2. in Luc. cap. 2.*

11. Gregorii Magni, & Hieronym.

ſionem devito; ſitus, motúſque præpoſitionum etiam caſúſque ſervare contemno; quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cœleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati. Neque enim hæc ab ullis interpretibus in Scripturæ ſacræ auctoritate ſervata ſunt. Greg. M. Epiſtol. ad Leandr in lib. Job. cap. 5. Quibus addendum inſigne Hieronymi teſtimonium: Hier. Prolog. in 14. Homil. Orig. in Ezech. *Has quatuordecim*, inquit, *Homilias in Ezechielem per intervalla dictavi, id magnopere curans, ut idioma ſupradicti viri, ac ſimplicitatem ſermonis, quæ ſola Eccleſiis prodeſt, etiam tranſlatio conſervaret, omni rhetoricæ artis ſplendore contemto; res quippe volumus, non verba laudare.* Addendum & iſtud ejuſdem: *Cúmque diligenter inquirerem quid ſibi vellet vocabulum, Trichapti, quod Septuaginta tranſtulerunt, & à nullo Græcorum nec etymologiam poſſem invenire ſermonis, tandem didici à Septuaginta eſſe compoſitum. Rebus enim novis nova fingenda ſunt nomina.* Hieron. in Ezech. cap. 16. De iiſdem interpretibus ſic ipſe alibi: Hier. in Epi. 1. 5. *Hunc autem ſermonem de Ebraico* תרין *Septuaginta interpretes tranſtulerunt, rebus novis nova verba fingentes.* Præclara quoque eſt & omni ſtudio evolvenda Caſſiodori in eam ſententiam diſſertatio, quam, ne longus ſim, Divinarum Lectionum decimo quinto capite conſignatam reperietis. 12. Caſſiodori. Quòd ſi ex Patrum illorum, ac reliquorum prope omnium ſanctionibus, dictionum caſtitas iis abjicien-

jicienda eſt, qui amplâ & diffuſâ commentariorum circuitione divinos Libros exponunt; eò etiam magis illa eſt interpretibus prætermittenda, quibus cautè eos & accuratè, quaſi in ſpeculo, referre propoſitum eſt.

13. Et Irenæi.

Minimè verò omnium ſilentio premendus Irenæus, ſeu quiſquis Irenæi libros de Græcis Latinos fecit: quicunque enim apertum Hieronymi teſtimonium repudians, illum è Græcorum numero ſcriptorum expunxerit, ſtuporem ille ſuum ſatis prodet.

Hieron. in Ezech. cap. 36.

Id verò quæritur, cuinam Latina illa, quâ potimur, debeatur interpretatio: ea quidem permihi placet ſententia, quæ Irenæum ſui ipſius interpretem ſtatuit, vel aliquem certè Irenæi familiarem ac neceſſarium; nam & vetuſtiſſima eſt hæc converſio, ut pote cujus dicta quædam αὐτολεξεὶ referat Auguſtinus; & in Eccleſiæ Latinæ gratiam, cujus partem aliquam, Lugdunenſem nimirum diœceſim, regendam ſuſcepiſſe creditur Irenæus, libros ſuos Latinâ oratione expoſuiſſe veriſimile eſt. Ut ut eſt ad eam diligenter trutinam expenſum videtur hoc opus quæ Patrum interpretibus à nobis propoſita eſt; nam & ſententias, & verba accurato examine ponderata deprehendet, qui ſparſa in Euſebio, Epiphanio, Theodoreto, Baſilio, & aliis, Græca Irenæi fragmenta cum Latinâ ejus interpretatione contulerit,

lerit. Hac tamen in vertendo fide orationem ejus ingenti Helleniſmorum, ac barbararum vocum, quibus facilè abſtineri poterat, copiâ oblitam fuiſſe fatendum eſt. Sed jam tempus eſt, ut ad auctores τῆς ἔξωθεν transeamus, quos ſi ad partes noſtras traduxero, non erit, Fronto, cur copiarum tuarum impetum pertimeſcam. Ac in Græcis quidem ſcriptoribus vix utrique noſtrûm eſt quidquam ſubſidii. Græcos dico Scriptores, non novitios, in quibus parum eſt auctoritatis; ſed antiquiores illos principes omnium pene diſciplinarum. Cum ex eorum quippe ſolo effloruiſſent bonæ literæ, eáſque locupletiſſimæ linguæ ubertate ſepſiſſent, adjumento linguarum facilè caruerunt. Nonnulli quidem immenſâ diſcendi cupiditate abrepti, nullo maris tranſmiſſu, nullâ itinerum longinquitate deterriti ad remotiſſimas penetrarunt gentes, earúmque moribus perſpectis, & erutis, ſi quæ ibi occultæ erant, artibus, ſed vix ullâ exterarum linguarum comparatâ notitiâ, ampliſſimas doctrinarum opes in patriam reportarunt; eáſque demum diſciplinas, velut inſitivos palmites, in linguæ ſuæ ac gentis, ſic tamquam in domeſticæ arboris truncum depoſitas, ita ſoli ingenio ſeſe familiariter applicare, & novo cœlo aſſuetas paulatim miteſcere inſtituerunt, ut domi apud ipſos

natæ, non aliunde traductæ crederentur. Quum alienas itaque linguas Græci ſuæ poſthaberent, & pro barbaris ducerent; inde adeò factum eſt, ut diligenter quidem conquirerent exterorum res, verba aſpernarentur, & vix barbari cujuſquam ſcriptiones, quantumvis bonâ fruge, & doctrinâ refertas, interpretationibus ſuis dignas deputarent. Fruſtra ergo ejus artificii præcepta ab iis expectaverimus, in quo vix ſuam unquam operam experti ſunt. Ad Latinos autem confugiamus auctores, qui liberales diſciplinas, è Græcorum libris hauſtas, in Romanum transfuderut ſermonem, Atticæque facundiæ magiſtros Latinè loqui docuerunt; & Græcis convertendis inſuefacti aliquas rectè interpretandi præceptiones ſcriptis ſuis nonnumquam intexuerunt. Primùm autem à Tullio, Romanæ juxtà & Græcæ linguæ, ſuprà quàm dici poteſt, perito faciamus initium diſputandi: nam qui ante ipſius ætatem Græca poëmata Latinis expreſſerunt, eos in aliam retulimus claſſem, quæ minimè ad hanc diſceptationem ſpectat. Plurima quidem de Græcis Latina fecit Cicero: is Aratum Romano carmine retulit; is nobiliſſimas Æſchinis & Demoſthenis orationes, Timæum Platonis, ejuſdem Protagoram, Xenophontis Oeconomicum, Epicuri, aliorúmque locos complures Latinè redi-

14. Tum Ciceronis.

didit, quorum maximam nobis partem annorum injuria ſubtraxit: perpauca duntaxat fragmenta ab Henrico Stephano olim collecta vim effugerunt temporis, unde tamen vix ac ne vix quidem de eâ ratione exiſtimari poſſit, quam in interpretando potiſſimùm Tullius executus eſt. Nam de Protagorâ, ex reliquiarum paucitate & brevitate res liquet: plura ſuperſunt ex Oeconomico fragmenta, quæ dedicata in libris ſuis nobis ſervavit Columella. Verumtamen eúmne Xenophontis librum, ut interpres, transferre; an Oeconomicum alterum ex Oeconomico Xenophontis effingere, & quæ ab eo de rei familiaris adminiſtratione diſputata ſunt, explicare Latinè propoſitum Cicero habuerit, minimè quidem ſatìs extat: ex illo certè libro loca hæc, quæ dixi proferens Columella, auctoritatem Xenophontis in eo ſecutum fuiſſe Ciceronem ſcribit, non verba interpretatum; Latinæ conſuetudini, non verbis reddidiſſe. Quis item Columellæ fidem præſtare poſſit, qui hæc verbis fortaſſe conveſtivit ſuis, & ad propoſitum accommodavit? quemadmodum ex eodem Xenophontis libro, habitum Lyſandro cum Cyro minore ſermonem retulit Tullius in Catone, quem pro interpretatione ſermonem nemo ſanæ mentis habuerit. Timæum quoque Platonis convertendum ſuſcepiſſe

Colum lib. 12. c. 1, 2, 3.

Tullium mihi non fit veriſimile; nam quis umquam ſibi tantum arrogavit licentiæ, ut quum Dialogum aliquem, cujuſmodi eſt Platonis ille liber, interpretatione donaret; remotis perſonis, continuatâ oratione, nec ullis interpunctâ quæſtionibus & reſponſis uteretur, ita ut à Cicerone factum eſt? Interpretationem dico, quæ ſuprà à me definita eſt, & de quâ diſputatio hæc eſt à nobis inſtituta. Utcumque ſe res habeat, quæ in libro De universitate è Platonis Timæo depromſit Cicero, non de ſuo inſerſit, tam adſtrictè & fideliter converſa ſunt, ut vix majorem diligentiam requiras. Ipſe Hieronymus integtos Platonis libros Ciceronem ad verbum fuiſſe interpretatum teſtatur. Sed quoniam partim eorum librorum periit; quid autem de optimâ interpretandi ratione ſenſerit Tullius, ex reliquâ parte non facilè colligitur; an aliunde ſententia ipſius excipi poſſit, anquiramus. Inſigne primùm occurrit teſtimonium in eâ præfatione, quam nonnullis Demoſthenis & Æſchinis orationibus à ſe converſis Cicero præfixit, quæque *De optimo genere oratorum* ab indoctis criticis inſcripta eſt. Verba ipſa, quoniam rem conficiunt, memoriæ commendavi: *Converti enim*, inquit, *ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes inter ſe contrarias, Æſchinis, Demoſthenisque: nec*

Hieron. Præf. in Euſeb.

con-

converti ut interpres, ſed ut orator, ſententiis iiſdem, & earum formis, tamquam figuris, verbis ad noſtram conſuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo neceſſe habui reddere, ſed genus omnium verborum, vímque ſervavi: non enim ea me annumerare Lectori putavi oportere, ſed tamquam appendere. Unde illud prorſùs efficitur, quicunque ſententiis iiſdem, & earum formis, verbis ad vernaculam conſuetudinem aptis, vi verborum, & genere ſervato, iíſque appenſis, non numeratis auctorem convertat; eum oratorem, ſi fortè, aut aliud quidvis agere, non interpretem: quiſquis verò non ſententias modò ſententiis exæquet, ſed verbum etiam pro verbo reddat; nec verba ſolùm appendat lectori, ſed annumeret, eum demum interpretis munere fungi. Interpretis autem neque officium, neque nomen his orationibus convertendis affectare ſe palàm declarat Cicero; ut ex his etiam clariùs liquet, quæ habentur in ejuſdem præfationis calce, *Quæ ſi à Græcis omnia converſa non erunt, tamen ut generis ejuſdem ſint nos elaboravimus.* Idem primo De finibus ſe non interpretis agere profitetur partes, quotieſcunque ea quidem tuetur, quæ dicta ſunt ab iis quos ſequitur; ſuum verò ſcribendi ordinem adjungit: interpres quippe non ſententiis ſolùm ſuis, ſed ſuâ etiam verborum diſpoſitione

ſuperſedere debet; alienam pertinaciter, quantùm pote, retinere. Quinetiam Epicuri quamdam ad Hermachum epiſtolam Latino alibi referens ſermone, totidem ferè verbis interpretatum ſe verè affirmat: & libro, ſi bene commemini, Tuſculanarum Quæſtionum tertio nonnulla ex Epicuri libris à ſe depromta & converſa, ad verbum, uti ſunt, ita relata eſſe ſcribit. Quod & aliis locis de ſe profitetur. Quid quod interpretandi laborem alio loco proponens, moleſtam rem eſſe dixit, alieno ſtomacho, & non ſuo ſcribere; Quiſquis ergo interpretem agens ſuo ſcribit ſtomacho, & innatæ facultati morem gerit, is enimverò in interpretum cenſum minimè ſit referendus. Videtíſne jam quantùm ſua ratio Joachimum Perionium fefellerit, qui hoc idem tractans argumentum, & interpretationum ſuarum licentiæ, quæ ipſo etiam vivente, tot convitiis à Gruchio, & Strebæo exploſæ ſunt, patrocinium quærens, unius Ciceronis auctoritatem prætendit? Nunc ve-
15. Horatii. rò Ciceroni ſuccedat Horatius, non poëta ſolùm perfacetus & elegans, ſed criticus etiam emunctiſſimæ naris, qui poëticæ artis leges ſtatuens, & quatenus pertractata ab antiquis argumenta ad proprios uſus convertere poſſint poëtæ, definiens, ſic ait,

Publi-

Publica materies privati juris erit, ſi
Nec circa vilem, patulúmque moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere, fidus Interpres.

Cujus loci ea mens eſt, in materiam ab aliis jam occupatam, & publici juris, non ita eſſe involandum, ut verbum pro verbo reddatur, quaſi fidi interpretis officium exequatur poëta; ſed ut argumentum, & rerum deſcriptionem exprimat, tum inſignia delibet ornamenta, verba prætermittat. Illud ergo, ex Horatii ſententiâ, fidi interpretis munus eſt, verbum verbo diligenter referre. Quod calculo ſuo confirmat Helenius Acron, ſive potiùs quiſquis eſt Scholiorum auctor, quæ non ex Acrone ſolùm, ſed ab aliis etiam Horatii explicatoribus conſarcinata ſunt. Huc etiam confert Quntilianus, quum id quod uno aut paucioribus explicatum verbis, περίφρασιν vocat; παράφρασιν verò, circa eoſdem ſenſus certamen, atque æmulationem, non interpretationem tantùm eſſe vult. Utcunque enim vel in verbis laſcivit interpres, vel in ſententiis, & præter extremam archetypi oram & determinationem protenditur, interpretis amittit nomen; περιφράζειν autem, vel παραφράζειν dicendus eſt. Idem alibi, *Condiſcant*, inquit, *verſus primò ſolvere, mox muta-*

16. Et Quintiliani.
lib 8 c. 6.
lib. 9. cap. 1. lib. 10. cap 5.

mutatis verbis interpretari, tum paraphraſi audaciùs vertere, quá & breviare quædam, & exornare, ſalvo modò poetæ ſenſu, licebit. Interpretatio ergo verborum mutatione conſtat, quæ ſi vel decurtata, ſalvo quantumvis ſenſu; vel novo ornatu aucta, liberiúſve converſa erunt, peribit interpretatio, paraphraſis exiſtet. Duplex ſiquidem paraphraſis genus agnoſcit Hermogenes, alterum quod ex immutato verborum ordine naſcitur; alterum, quod ex collatatâ & amplificatâ, vel ex contractâ & conciſâ oratione exurgit: quibus profectò abſtinere debet, quicunque neglecto paraphraſtæ nomine, ad interpretis laudem aſpirat. Plura poſſem congerere, amiciſſimi homines, & híſce rebus exempla adjungere, ſed video apud quos hic habeatur ſermo; tùm ſatietati veſtræ occurrendum eſt; & tibi, Fronto, danda eſt oratio: jamdiu eſt enim, cùm te vix pati cerno, quin erumpas, & pugnaciſſimis copiis tuis des ſignum concurrendi. FR. Tot equidem, Caſaubone, ut candidè fatear, támque ſingularia cauſæ huic ferè jam præjudicatæ adjumenta, quæ ſcientiſſimè complexus es, à te non expectabam; quod mihi tam præter ſpem evenit, ut anteceptæ animo opinionis propè jam pœniteat, cauſáque illa è manibus penè elapſa ſit: perfricabo tamen frontem,

Hermog. in Method. cap. 24.

VII. 1. Elevantur prolatæ auctoritates, tùm aliæ opponuntur.

& jus meum, ita ut inſtitui, animo obfirmato perſequar, nec cauſam deſeram, quam propugnandam ſuſcepi. Tu, ſi placet, ampliſſime Thuane, ſedebis arbiter hujus pugnæ, tuámque nobis, opinor, ad id operam non gravatè tribues, quam moleſtiſſimis clientum litibus quotidie dijudicandis libenter concedis. Singulas ergo diſputationis tuæ partes, quo à te, Caſaubone, ordine explicatæ ſunt, eodem, ſi potero, refutabo; ne tumultuariæ pugnæ ſpeciem referat hæc concertatio. Philoni itaque primùm, Joſepho, & Ariſteæ, quorum auctoritate ſummam illam Seniorum Septuaginta cum Ebraicâ veritate convenientiam adſtruere conatus es, alios objiciam Judæorum Magiſtros, quos Interpretibus Septuaginta falſi dicam impegiſſe commemorat Juſtinus: Origenem deinde, Epiphanium, Philaſtrium, Hieronymum, & Auguſtinum opponam, qui magnam è contrairio diſcrepantiam, prætermittendis nonnullis, vel inſerendis, vel præter germanam ſententiam convertendis ab iis admiſſam teſtantur. Id cùm multis apertè declarat locis Hieronymus, tùm Epiſtolâ ad Pammachium, & Præfatione in Danielem ſanè apertiſſimè: elaboratam quippe à Septuaginta Senibus Prophetæ hujus interpretationem meritò repudiatam fatetur, quòd mul-

Juſtin. Dial. cum Tryph.
Origen. Epiſt ad Afric.
Epiphan. de Ponder. & Menſ. N. 2. 3 6. 17.
Phil. Hær. 137.
Hieron. Præfat. in Pentat.
Præfat. in Dan.

Epiſt. 101. cap. 3. & Præfat. in Euſeb. Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 42. & 44. & lib. de Conſ. Euang. cap. 60.

multum diſſentiret à vero, nec Chaldaicæ linguæ lineas retineret. Philonis vero teſtimonio ſignificari aliud quàm quod inde excepiſti, non viri ſolùm docti pertendunt, ſed ipſa res etiam clamat: cùm innumera enim è Septuaginta Senum interpretatione loca à Philone prolata ſint, ſi minùs ſenſu, at verbis ab Ebraicâ veritate magnopere diſſona; mirificam illam, quam probas, utriuſque ſimilitudinem, his ipſis ex eâ repetitis à ſe locis luculentè confutatam minimè prædicavit: id tantùm ſibi voluit nominibus propriis res aptè fuiſſe ſignificatas.

Theodoret. Præf. in Libr. Rég.

Quod ſi Scriptorum ſacrorum inſtare veſtigiis quandoque conati ſunt interpretes illi, tum vero magnam operi ſuo obſcuritatem intuliſſe ipſos merito queritur Theodoretus.

Hieron. Epiſt. 101, cap. 4.

Jam verò eximiam Aquilæ fidem quum laudas, meminiſſes quàm turpiter eum à ſe repellat Hieronymus, non religioſum, ut tu jubes, ſed contentioſum, & κακόζηλον interpretem appellans; nec propter verbis relata verba commendans, ſed propter nimium veriloquiorum ſtudium carpens, ac ſuggillans: advertiſſes quàm ſeverè eum caſtiget Epiphanius, quod neglectâ perſpicuitate, dum voces exquiſitius appendit, orationem inſulſitate fœdârit.

Epiphan. de Pond. & Menſ. N, 2.

Theodotion porrò Ebraicíſne inſtiterit, magna ineſt certatio; ab iis quippe Seniores Septuaginta receſſiſ-

ceſſiſ-

ceſſiſſe pertendo, tu inficiaris, quos aſſectatum fuiſſe Theodotionem, ego, & tu agnoſcimus. Ad Symmachum quod attinet, ecquamnam interpretandi viam affectaverit, vel ex his Hieronymi verbis intelligas, quæ ex memoriâ recitare conabor, *Quaſi non & apud Græcos, Aquila, Symmachus, & Theodotio, vel verbum è verbo, vel ſenſum è ſenſu, vel ex utroque commixtum & mediè temperatum genus tranſlationis expreſſerint*: ut verba verbis rependit Aquila, ita ſenſum ſenſu Symmachus, medium quoddam genus, & utriuſque particeps Theodotion perſecutus eſt. Summam præterea interpretandis Scripturis vafritiem adhibuiſſe hanc Hæreticorum trigam uno ore Patres univerſi clamant; & elevandæ Septuaginta Senum auctoritati, has à Judæis adornatis editiones, & Chriſto faventibus teſtimoniis ſubdolè corrumpendis, conqueruntur. De Heſychii, Luciani, & Euſebii, ac Pamphili interpretationibus res eſt in incerto, ab eâque de Septuaginta Senibus quæſtione, quam diximus, tota apta eſt. Samaritanæ interpretationis, Syriacæ, Æthiopicæ, & Perſicæ religioſam in verbis fidem jactas: quid ſi par pari referimus, & Chaldaicæ contra, ac Arabicæ libertatem venditamus? Pergamus ad Latinas, è quibus duas ſelegiſti potiſſimùm, unde opinioni

Hieron. Præfat. in Job.

tuæ

tuæ præſidium comparares ; Italam nempè antiquam , atque illam Hieronymi ; quæ ambæ in unam, Vulgatam hanc videlicèt, quæ aſſiduo Chriſtianorum conteritur uſu, coaluerunt : ſi utramque ergo Ebræis ad verbum minimè conſenſiſſe vicero ; nec iis, opinor , conſentire Vulgatam noſtram fatebere. Ac Italam quidem illam antiquam, quæ Vulgata & ipſa, ſeu Vetus dicebatur, de Septuaginta Seniorum interpretatione expreſſam fuiſſe conſtat; non purâ illâ, ſed eâ quæ Κοινὴ quoque appellabatur ; quæ cùm antè Hieronymi tempora à primâ jam integritate deſciviſſet, ut eruditè docuiſti, miror ejus te interpretationis fidem extollere, quæ ex infidâ interpretatione orta ſit ; ut ſi nitidum rivulum, ac purum eſſe dicas , qui è perlucido quidem fonte , ſed

Hieron. Præfat. in Eſth.

per lutulentas fiſtulas profluxerit. Inde Hieronymus lacinioſos editionem iſtam hinc inde ſinus trahere docet, additis iis, quæ ex tempore dici poterant & audiri. Nec alio ipſum reor conſilio inductum, ad novam elucubrandam interpretationem animum appuliſſe, quàm quòd è re Eccleſiæ & commodo eſſe cenſuerit, ſepoſitâ propter nimiam ab Ebraicis diſſenſionem Italâ , ſervatíſque tantùm membris ejus quibuſdam, meliorem aliam, & ſinceriorem ſubrogare. An ad verbum autem exacta fuerit interpre-

pre-

pretatio Hieronymi, cuinam potius credendum eſt, quam Hieronymo ipſi, qui ad *Hieron.* Auguſtinum ſcribens, ſenſuum potiùs, *Epiſt. 89. ad Auguſt. cap. 6.* quàm verborum ordine ſervato elaboratam eam à ſe profitetur? cùm hanc præſertim convertendi rationem totis libris proſciderit, ſed eo potiſſimùm ad Pammachium libello, qui eſt De optimo genere interpretandi: unde nobis cùm validiſſima adversùm te argumenta ſuppeditentur, ſingula paucis colligam. Ea quidem quæ è Ciceronis auctoritate petita ſunt, quoniam ſatis confutaſſe viſus es; ac Terentii, item Plauti, & Cæcilii é Menandro, & veteribus Comicis derivatas comœdias, quoniam in alium cenſum rejeciſti, miſſas facio. Horatii autem attingam locum, quem contrà videris accepiſſe, ac ab eruditis hominibus Bonamico, Luiſino, Farrhaſio, & Badio, ut de Hieronymo taceam, acceptus eſt: nam ſi iis habenda fides eſt, ut certè eſt, interpretum officii ſui ſtrictim commonefacit Horatius, vetàtque ne verbum verbo curet reddere. Anxiam hanc deinde interpretationem, ſollicitudinem & triſtem ab eruditis κακοζηλίαν appellari tradit Hieronymus. Tum quaſdam ſubnectit argumentationes, quæ quoniam à Thuano occupatæ ſunt, & tu acutè diluiſti, operam in iis repetendis ludere nolo. Hilarii poſtmodùm

Pictavienſis, & Evagrii exemplo ſe tuetur, qui in Latinum ſermonem Græca transfundentes, verbis neglectis, ſententias modò conſectati ſunt. Ad hæc Septuaginta Seniores, Evangeliſtas, Apoſtolos, & Latinos interpretes ad unam attentos ſententiam, referendorum verborum religionem contemſiſſe longâ exemplorum ſerie confirmat. Et ejus demum interpretationis ſpecimen proponit, quam cùm ex Epiphanii ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum epiſtolâ fuiſſet elucubratus, fluxæ à quibuſdam, & ſubleſtæ in convertendo fidei perperàm accuſatus eſt: è quo ſpecimine, quàm inanis ſit eorum interpretum conatus, qui ſyllabas & verba aucupantur, facilè perſpicias. Paria quoque his concinit in epiſtolâ ad Suniam & Fretellam, & non omnem euphoniæ ac venuſtatis abjiciendam eſſe rationem ſæpius iterando inculcat. Inſolentes præterea, & novas voces, quas à Scripturæ interprete confingi jubes, à ſuis longè interpretationibus rejicit. Quam verò aliis tulit legem, huic ipſe non in Scripturæ ſolùm, ſed in reliquis etiam interpretationibus ſtudioſè obtemperavit. Euſebii Chronicon quantâ libertate convertit, pleraque pro arbitrio vel adjiciens, vel recidens, vel in aliam formam diffingens? Quamvis autem tanti reprehenſoris vitia vix

à te

à te dilui poſſe putem, in ejúſque auctoritate ſatìs conquieſcam, quædam tamen adjiciam de meo, quibus prolatorum à te, ex auctoribus τοῖς ἔξωθεν, teſtimoniorum fidem elidam. Nam quòd Tullii patrocinium aſciſcis, Ciceroni obduxerim Ciceronem ipſum, qui tertio De finibus indiſerti interpretis eſſe docet, verbum è verbo exprimere. Quæ autem ſubjunxiſti teſtimonia, quibus ſe totidem verbis interpretatum fuiſſe dicit, haud ſcio an aliter exponenda ſint, ac tu jubes: quod enim priore libro De divinatione, è Platonis Politiâ depromtum, ad verbum ſe extuliſſe declarat, hoc ſi ad Græca ipſa exegeris; ſervatis utcunque, imò verò, perverſis etiam aliquando ſententiis, verborum curam inſuper-habuiſſe Tullium deprehendes. Idem quoque Ennii, Pacuvii, Cæcilii, & Terentii fabulas ad verbum ſcribit fuiſſe de Græcis expreſſas, quas tamen ipſo ſtatim orationis tuæ initio ab hac diſputatione ſegregaſti; propterea nimirum quòd in iis convertendis ſacramentum auctoribus ſuis non dixerunt interpretes, nec ad eorum ſolùm attenderunt ſententias, ſed ad ſpectatoris etiam voluptatem, aut lectoris ſtudia, aliúdve quidpiam. Quintiliano demum Gellium objiciam, à quo omnibus omnino transferendis verbis diſertiſſimè interdicitur, ne ſi in- *Aul. Gell. lib 9 cap. 9.*

vita per vim transferantur, lepos evaneſcat. His addendus, inter Judæos, quotquot à Moſis ætate floruerunt, doctrinæ & ingenii gloriâ longè præſtantiſſimus. R. Moſes ben Maimon; cujus patrocinium ſi quis meruerit, idem ſe Judæorum omnium, qui illius effata, haud ſecùs quàm dictata de cœlo oracula audiunt, tuliſſe ſuffragia glorietur. Is de optimo interprétandi modo ita ſentit, ut in quadam ad R. Judam Tibboniden epiſtolâ eam tenebris, ineptiiſque deformatum iri interpretationem pronuntiet, quæcunque verba, verborùmque ordinem curioſiùs retinuerit. At nunc ſi totius vetuſtatis replicemus memoriam, ſingulòſque omnium ætatvm & gentium interpretes colligamus, quorum maximæ & optimæ parti liberrimè exſpatiari, & orationis ſuavitati ſervire nulla religio fuit, vereor ut tot ſententiæ tuæ adverſarios poſſis ſuſtinere. Noli igitur, Caſaubone, inurbanum quemdam & humanitatis expertem nobis interpretem deſcribere, infracta & amputata loquentem, auréſque noſtras inamœni ſermonis ſtridore obtundentem; eóſque vituperare, quibus apta & finita ſcribere ſtudium eſt: qui ſi inani verborum diſpoſitione ac venuſtate ducti ſententias corrumperent, jure à te reprehenderentur; ſi lectis & ordine con-

ſtructis verbis, ſenſus ipſos integros repræſentant, quid eſt cur orationem inſiſtere & reptare mavis, quàm ad aurium voluptatem, & arbitrium excurrere? CAS. Cùm eam, quam quærimus, accuratè, nec ineleganter interpretandi palmam tantâ tibi induſtriâ pepereris, Fronto, ut reliquis etiam præripuiſſe videare; mihi planè credibile fit non tam repugnandi ſtudio, contrariam cauſam egiſſe te, quàm perveſtigandæ veritatis gratiâ, quæ ex utraque parte contentione factâ faciliùs elucet. Quamvis ergo neque auctoritate apud me plus te valere poteſt quiſquam, neque voluntate; argumento tamen quibus à te adverſaria cauſa circumſepta eſt, deturbare conabor. Atque ut eumdem ſemper curſum teneat noſtra diſſertatio, unde invadendi mei, inde ego contradicendi, initium faciam. Criminis ejus primùm, quod Judæos Senibus Septuaginta impegiſſe Juſtinus refert, eruditam confutationem ipſe nobis ibidem ſubminiſtrat Juſtinus, neque noſtram orationem expectat. Origenem verò, Epiphanium, Philaſtrium, Hieronymum, & Auguſtinum pleraque in Septuaginta Seniorum interpretatione ſecùs relata deprehendiſſe, ac in Ebraicis extabant, minimè equidem diffiteor: de primâ ſedenim integritate jam ætate ipſorum deflexerat. Quòd autem Spiritu ſancto aucto-

2 Afferuntur impugnatæ auctoritates, oppoſitæ explo-duntur.

re multa ab ipſis Septuaginta Interpretibus, non à poſterioris ætatis interpolatoribus, conſultò intruſa fuiſſe, vel prætermiſſa, vel immutata dixerunt; piè ab illis, & religioſè factum eſt, ut interpretationis illius auctoritatem adverſùs impiorum hominum calumnias tuerentur: cùm certo Dei conſilio factum reiſâ videatur, ut Ethnicum regem, & Monſtrorum cultricem gentem, vitandæ offenſionis cauſâ, venturi Chriſti myſteria celarent, quæ ne tum quidem Judæis illis doctoribus ſatis videntur perſpecta.
Epiph. de Ponder. & Menſ. N. 19. Cur enim alioquin Epiphanius interpretationis hujus accurationem tam apertè prædicâſſet? ἀλλ' Ὠριγένης, inquit, τὴν τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἔκδοσιν ἀκριβῆ εἶναι, μέσην πάντων συνέθηκεν, ὅπως τὰς ἐντεῦθεν ἑρμηνείας διελέγξῃ: cur
Hieron. lib. 1. in Epiſt. ad Galat. cap. 1. Hieronymus? *Verbum quoque ipſum*, inquit, ἀποκαλύψεως, *id eſt, revelationis, propriè Scripturarum eſt, & à nullo ſapientium ſæculi apud Græcos uſurpatum. Inde mihi videtur, quemadmodum in aliis verbis quæ de Ebræo in Græcum Septuaginta Interpretes tranſtulerunt, ita & in hoc magnopere eſſe conatos, ut proprietatem peregrini ſermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes:* &
Origen. Homil. 18 in Jerem. ipſe Origenes; καὶ ἐοίκασιν οἱ ἀπὸ ἑβραϊσμοῦ ἑρμηνεύσαντες, μὴ εὑρόντες τὴν λέξιν κειμένην παρ' Ἕλλησιν, ἀναπεπλακέναι, ὡς ἐπ' ἄλλων πολλῶν, καὶ ταύτην, καὶ πεποιηκέναι τὴν, ἐστεροποφόρησε κύριος ὁ

θεὸς

θεόπνευ. Utut ſit, Philonis ſanè, Joſephi, & Ariſteæ maximi eſt apud me, in re hujuſmodi, teſtificatio, qui & Septuaginta interpretum ætate propiùs abfuerunt, & emendatioribus uſi ſunt codicibus, necdum tantâ temeritate corruptis, & eximiâ ſacrarum Literarum peritiâ claruerunt. Repudiata quidem eſt, propter nimiam à Chaldaicis diſcrepantiam, comparata à Septuaginta viris Danielis interpretatio; cujus diſcriminis Septuaginta Interpretibus, non, ut tu nobis perſuaſum eſſe vis, ſine dubitatione dicam ſcribit Hieronymus; ſed librum potiùs ab aliquo Chaldaicæ linguæ ignaro ſub eorum nomine confictum fuiſſe, vel aliud quidpiam cauſæ ſubeſſe ſuſpicatur. De Philone verò, qui cùm Septuaginta Senes Ebraica verbo tenus aſſectatos fuiſſe jactâſſet, loca ex iis petita paſſim ipſe protulit, vix Ebraicis ſententiis, nedum verbis conſona, ſic ego exiſtimavi ſemper; utrorum Septuaginta Editionem, quæ Origenis ætate tot mendis & mutationibus contaminata erat, jam ipſius tempore Philonis defloruiſſe; alterámque κοινὴν & Vulgatam, immutatam videlicet & recoctam; alteram integram, quæque in Hexapla ab Origene deinde recepta eſt, extitiſſe: Philonem itaque poſterioris hujus conſenſum cum Ebræis venditâſſe, è priore verò ſuffragia de-

depromſiſſe, quòd notior illa, & uſu quotidiano tritior foret; Hieronymi quippe ſcitum eſt, *Ubicunque ſancti Apoſtoli, aut Apoſtolici viri loquuntur ad populos, his plerumque teſtimoniis abuti, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata.* Quod non minus vere de Philone dici poteſt. Cur vero Septuaginta Senum Editionem tot ante Philonem annorum ſpatio elaboratam labis aliquid contraxiſſe non credamus, cum Aquilæ, Theodotionis & Symmachi interpretationes, paucis licet ante annis publicatas, ſua jam ætate inquinatas fuiſſe queratur Origenes? Quæ in Interpretibus denique Septuaginta apparet diſcordia, cavendum ne ab Ebraicorum fortaſſe codicum diſſenſione, variiſque eorum lectionibus, & Judaicorum, quæ deinde excogitata ſunt, punctorum perturbatione orta ſit. At Theodoretus cum ex nimis tenaci & religioſa Senum illorum in interpretando fide natam cauſſatur obſcuritatem, hoc ipſo fidem eorum, quam laudavimus, confirmat. Culpat itaque tenebricoſam interpretationem; ſinceram & fidelem haud quaquam improbat. Etſi vero incorruptam duntaxat Interpretum Septuaginta fidem defendendam, non excuſandam obſcuritatem ſumſi, facilis tamen eſt hujus ipſius criminis depulſio: obſcuritatem quippe exemplaris, pro eo ac poſtulat in-

Hier. quæſt. Ebr. in Geneſ.

interpretandi lex, pari obſcuritate repræſentarunt. Quod illis ergo datur vitio, nos magnæ laudi ducimus. Hinc Aquilæ fidem abrogare adortus es, ídque Hieronymi & Epiphanii confiſus præſidio: equidem Hieronymum Hieronymus ipſe, & unicum abs te recitatum locum complures alii confutabunt, quibus Aquilæ ſingularem in interpretando diligentiam, & inuſitatam Ebraicæ linguæ notitiam prædicat. Inſignis extat præcipuè locus in epiſtolâ ad Damaſum: *Aquila*, inquit, *qui non contentioſius, ut quidam putant, ſed ſtudioſius verbum interpretatur ad verbum:* & alter ille in Exodum: *Aquilam vero, ut in cæteris, ita & in hoc maxime loco proprie tranſtuliſſe omnis Judæa conclamat, & Synagogarum univerſa conſonant ſubſellia:* Nec minor ei laus, longè ante Hieronymum, fuerat ipſi ab Origene contributa, in epiſtolâ ad Africanum, his verbis *Sic enim Aquila Ebraicæ dictioni ſerviens reddidit, qui apud Judæos creditus eſt Scripturam majori cum laude eſſe interpretatus, quo maximè ſolent uti qui ſermonem ignorant Ebraum, ut qui maximè omnium eum ſit aſſecutus.* Ad Epiphanii verò diluendam rationem, unde accommodatior nobis obtingat reſponſio, quàm ex eodem Epiphanio, qui idipſum quod ab Aquilâ juxta Ebraicam veritatem fuerat ſuperſti-

 tioſâ

tioſâ diligentiâ repetitum, pari modo, apud Symmachum, & in reliquis Editionibus iteratum reperiri docet; & hæc eadem cùm eſſent à Septuaginta prætermiſſa, à nonnullis fuiſſe deſiderata. Non alterius itaque, quam Aquilæ, veſtigiis inhærendum duxerunt triginta illi ſacrorum Codicum Interpretes Philaſtrio memorati. In articulis quidem & minutis quibuſque orationis partibus referendis poſitum ab eo ſupervacaneum laborem fatendum eſt; quod temere tamen non reprehendo: cum enim immunem labis interpretationem, in Scripturis præſertim ſacris convertendis, vix dari poſſe putem; ſi aliquo modo peccandum eſt, in eam potius partem peccari volo. Theodotionis item cauſa quoniam cum cauſâ Seniorum Septuaginta conjuncta eſt, utramque obtinuiſſe ſatìs videor. De Symmacho res eſt obſcurior, movet enim me teſtimonium quod protuliſti: quo tamen non id videtur ſignificari, de ſententiis modò reponendis cogitâſſe Symmachum, verborum fidei nuſquam ſe addixiſſe; ſed majorem ſenſus quàm verborum ſuſcepiſſe curam, cùm in verbis Aquila majorem, quàm in ſententiis, diligentiam præſtitiſſet: utriſque ſanè ſtuduit uterque; at hic præcipuè verbis, ille ſententiis. Et ut rem aliter ſe habere vinceres, tot Interpretum pa-

trocinio fretus, unum hoc tibi facilè remittam. Quod autem tres hóſce perfidiæ coarguunt univerſi Patres, non ad interpretandi rationem id pertinet, ſed ad certas quaſdam dumtaxat ſententias, in quibus veritatem occuluerunt conſultò, non quòd optimum id eſſe interpretandi genus exiſtimarent. Quid Chaldaicæ vero interpretationis exemplum profers, quæ in Paraphraſeon ordinem olim amandata eſt? Jámne putas autem Saadiæ interpretationem Arabicam, laxam illam quidem, & liberam, perpetuo tot Scripturæ interpretum conſenſui anteferendam? cùm præſertim aliam extare ſciamus apud Scaligerum interpretationem Arabicam, caſtigatiorem longè, & archetypo fidelius inhærentem? Ad Latinas inde interpretationes tranſiiſti; & Italam primùm, ſeu Vulgatam, ut pote ex infidâ derivatam interpretatione, eâ nempe quæ κοινὴ dicta eſt, infidam quoque eſſe diſputaſti; in quo tuam profectò ſolertiam, & veri perſpicientiam requiro: tametſi enim κοινὴν illam cum Ebræis non ſatìs conſpiraſſe demus, κοινῇ ſanè huic Itala mirificè conſenſit, ut ab Auguſtino accepimus. Ebræis ergo parùm fida fuerit, quo minimè aſpiraverat; κοινῇ certé fidiſſima fuit, quod illi fuerat propoſitum. Quis eam verò infidam imaginem eſſe dicat, quæ ex aliâ imagine,

gine, quàm voles, inſidâ, accuratè expreſſa ſit? Illius ergo redundantiam animadvertit Hieronymus, quum eam ad Ebraicæ veritatis normam exigeret; à qua videlicet diſtabat κοινὴ illa Septuaginta Interpretum Editio, Italicæ fons & origo. Quòd ſi Italicam ad κοινὴν expendiſſet, pares eas uſquequaque & ſimiles deprehendiſſet. Quum veteri hac autem improbatâ, novam ſufficiendam judicavit; κοινὴν in veteri Italâ, non Italam improbavit. Ad hæc totam nobis Hieronymi de interpretatione rationem explicaſti, quem unum ferè hac in controverſiâ patronum & defenſorem videris cooptaſſe; ab eóque auſpicatus es Horatii loco, de quo non nunc primùm inter Grammaticos habita eſt concertatio; id adeò ex præpoſterâ Hieronymi explicatione videtur profluxiſſe: dicam enim verè quod ſentio; poſtquàm pro Chriſti tribunali, propter lectum Ciceronem, flagellis tam probè invitatus eſt Hieronymus, ut cogeretur remittere nuntium humaniorum literarum Auctoribus, quemadmodum de ſe ipſo narrat; minimè mirum eſt quædam illi gravioribus diſtricto ſtudiis excidiſſe, cùm ex abjectis à ſe, & neglectis ſcriptoribus, tanto poſt intervallo, teſtimonia quædam & ſententias ex memoriâ proferret. Quum igitur de interpretandi ratione diſſereret apud Pammachium,

3. Hieronymi liber de optimo genere interpretandi confutatur.

Hieron. Epiſt. 21. ap Euſtoch.

chium, ad animum continuò ſuccurrit Horatianus ille verſus, qui à ſuperioribus disjunctus in Hieronymi ſententiam facilè detorquetur. Quòd ſi totum, è quo is aptus eſt, locum ei licuiſſet conſulere, germanam haud dubiè, quæ fuit ſummi viri perſpicacitas, facilè pervidiſſet ſententiam, nec in alienam ſeſe incautus induiſſet. Id doctis iis, quos commemoras, viris fraudi fuit, qui rem ab Hieronymo præjudicatam defendere, quàm ad novum examen revocare maluerunt. Certè ſi ex ſectatorum numero veritas ſpectanda eſt, vereor, Fronto, ut cauſam obtineas; eam quippe, quæ primò à nobis propoſita eſt, loci hujus Horatiani explicationem amplexa eſt longò major criticorum pars; quos ſi nunc recenſere vellem, abuterer benignitate veſtra. Unus erit pro multis Henricus Stephanus, ſocer meus, cujus eruditas in Horatium Diatribas, & Schediaſmatum libros ſi adiveritis, non erit cur ampliùs de verâ loci hujus ſententiâ ambigatis. Interpretationis præterea religionem ac fidem invidioſâ κακοζηλίας appellatione, non hoc ſolùm loco, ſed aliis etiam ſexcentis traducit Hieronymus; cujus criminationis injuriam quo faciliùs repellam, quid ſi κακοζηλία ante omnia diſquirendum eſt: hanc autem ſic definit Quintilianus, *Quidquid eſt ultra* Quintil. lib. 8. cap. 3.

ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret, & ſpecie boni fallitur; quod aſtrictæ potiùs, quàm liberæ interpretationi quomodo conveniat, omnino non video: imò verò poſteriori huic, ſi ad rem attendimus, quæ ultra modum & virtutem abit, lòngè major quàm priori illi ineſſe videtur affectatio. Etenim in exactâ ad verbum interpretatione, quæ prætermiſſo elegantiæ & εὐφωνίας ſtudio, non ſententiarum ſolùm religionem, ſed verborum etiam fidem conſectetur, in quâ omnia ex auctore petita, nihil ab interprete ſuppoſitum appareat, quî ulla locum habere poteſt affectatio? Quæ aurium autem ſervit voluptati, quæ dicendi lepores perſequitur, quæ numeros captat, & aſcititium ornatum affectat, in eâ enimverò potiſſimùm κακοζηλία conſiſtit: appoſitè ſiquidem Lucianus κακοζηλίαν eſſe dicit, τῶν ὑπερβαινόντων τὸ μέτρον, καὶ πέρα τοῦ δέοντος ἐπιτεινόντων. Hilarium deinde, & vitæ S. Antonii interpretem Evagrium allegat Hieronymus; quaſi vel Hilarii, vel Evagrii, etiam ſine ratione, plus apud me valere poſſit, quàm Hieronymi ipſius auctoritas; cùm Hilarium præſertim vix tenui Græcæ linguæ aurâ afflatum Græca Latine reddenda ſuſcepiſſe, ad idque Heliodori cujuſdam Presbyteri ſcientia uſum eſſe, & fere Paraphraſten, non Interpretem ſe geſſiſſe; imitatum

Lucian. de Saltat.

tatum eſſe, non interpretatum ipſe ſcribat Hieronymus. Hinc porro ſententiæ ſuæ Septuaginta Senum, Evangeliſtarum, Apoſtolorum, & Latinorum interpretum patrocinium conciliare conatur, multipléxque ad id locorum congerit exemplum, quos è Scripturæ ſacræ libris depromtos, non iiſdem verbis, at ſententiis paribus retulerunt. Idem alibi quoque repetit & inculcat. At id nulla videtur ratione factum pace ſancti viri dixiſſe liceat: nam quicunque auctoris utitur teſtimonio, hoc ipſum teſtimonium ad verbum recitare non tenetur. Id quotidiana doctorum hominum comprobat experientia, quibus vel auctorum, quos ſibi patronos aſciſcunt, nomina modò proferre uſuvenire ſolet; vel ſententias nullo verborum delectu exponere; vel inſignia quæque verba cum ſententiis retinere; vel ipſa cum ſententiis pariter verba integrâ fide repræſentare. Horum omnium exempla apud ſacros ſcriptores obvia ſunt, & in promtu. Extat apud Eſaiam dictum illud, *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini*, hoc non ſenſu dumtaxat, ſed verbis etiam integris ſubjecerunt Matthæus, Marcus, & Lucas; at Johannes ſic, *Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini, ſicut dixit Eſaias Propheta:* eorum ſanè nullus interpretem agere inſtituit, ſed dictum ſen-

Hier. in Ruf.

ten-

tentiæ ſuæ accommodum pro arbitrio protulit unuſquiſque, & exſcripſit. Cujus *Hieron. Epiſt. 101. cap. 4.* rei confeſſionem ipſa ab Hieronymo veritas expreſſit, cùm enim ex Eſaiâ ſumtum à Paulo teſtimonium ad verbum minimè verſum fuiſſe demonſtrâſſet, παραφραστικῶς expoſitum fatetur: παράφρασις ergo illud eſt, non interpretatio; quæ ſi re diverſa in unum confudit Hieronymus, ne te quidem, Fronto, opinor ſectatorem habebit. Aliud agit ergo qui interpretatur, aliud qui ſententiam ſuam auctoritate confirmare ſtudet. Deinde, ut pro Zachariâ, Jeremiam ap- *Matth. 27. 9.* pellàverit Matthæus: pro Malachiâ, Eſa- *Marc. 1. 2, & 21. 26.* jam: pro Achimelecho, Abiatharum, Marcus: pro Jacobo Abrahamum Lucas lau- *Act. 7. 16.* daverit (quod Hieronymo tamen non facilè conceſſerit quivis) quid inde conflatur? idcircóne nomina commutare nominibus, & omnia permiſcere interpreti fas eſt? Septuaginta autem Seniorum exemplum obtendit; quam appoſitè verò, cùm eos ipſe Ebraicæ veritati examuſſim reſpondere, à poſterioris autem ætatis hominibus fuiſſe corruptos paſſim inculcet? Ruit itaque tota hæc exemplorum collecta ab Hieronymo & parata congeries, totamque ipſius cauſam hoc nudatam præſidio impugnationi noſtræ & petitioni apertam relinquit. Ad interpretationis denique ſpecimen ab Hiero-

Hieronymo propoſitum deſcendiſti, quod expendiſſe ſanè operæpretium fuerit, ut inde quid de totâ re ſtatuendum ſit, documentum capiamus. Ab his verbis ducebat initium Johannis Hieroſolymitani epiſtola, ἔδει γὰρ ἡμᾶς, ἀγαπητὲ, μὴ τῇ οἰήσει τοῦ κλήρου φέρεσθαι; quæ ſic ab Hieronymo reddita ſunt, *Oportebat nos, dilectiſſime, clericatus honore non abuti in ſuperbiam.* Non uno hîc nomine pœnas ſe Rufino & Melaniæ dediſſe queritur Hieronymus. Ideò primùm reprehenſus eſt, quod ἀγαπητὲ, interpretatus ſit *dilectiſſime*, & meritò quidem, cur enim ſimplici ſuperlationem addidit? Diverſa ſunt, φίλος, & φίλτατος: quòd ſi Tullio φίλον fuiſſe Trebatium, φίλτατον Atticum dixero; tuque φίλον *amiciſſimum* interpreteris, φίλτατον, *amicum*, aliud inde lector intelliget, ac ego ſignificatum voluerim. Non rectè ergo ἀγαπητὲ retulit Hieronymus, & γὰρ quoque ſine cauſâ abjecit. Pergamus ad reliqua, *clericatus honore non abuti in ſuperbiam:* hoccine verò eſt interpretem ſe gerere, an paraphraſten? *honore*, enim, rei illuſtrandæ gratiâ, de ſuo largitus eſt: at, *abuti in ſuperbiam*, pro eo quod eſt, οἰήσει φέρεσθαι, concoquere nullo modo poſſum. Ut interpretationi poſtmodum ſuæ lucem paret, aliam opponit, eámque abſonam, & à nativo ſenſu planè alienam,

F *Opor-*

Oportebat enim nos, dilecte, non æſtimatione clericorum ferri; οἰήσει, enim hoc loco, *æſtimationem*, haudquaquam ſonat, ſed *ſuperbiam*, & *arrogantiam*; neque κλήρων, *clericorum*, ſed *clericatus*: nec τοῦ φέρεσθαι, *ferri*, ſed, *efferri*, reſpondet. Neutra ergo mihi probatur interpretatio: ea autem ſic fuerant convertenda, *Oportebat enim nos, dilecte, arrogantiâ propter clericatum non efferri*: geminam videtis eſſe ſententiam, & verba quoque verbis, quoad ejus fieri potuit, eſſe repenſa. Pari quoque arte concinnatis ad verbum interpretationibus idem alibi invidiam facit: ex hoc quippe centeſimi Pſalmi verſu, οἱ ὀφθαλμοί μου ἐπὶ τοὺς πιστοὺς τῆς γῆς, τοῦ συγκαθῆσθαι αὐτοὺς μετ' ἐμοῦ, hanc ad verbum interpretationem dicit exurgere, *Oculi mei in fideles terræ, conſidere ipſos mecum*: tum deinde in hæc verba erumpit, *Quis non talem fugiat interpretationem, ut verbum ad verbum exprimens dicat, conſidere ipſos cum me*. Eámne verò ad verbum expreſſam eſſe dicis interpretationem, quæ vocem τοῦ expungit, in quâ totius ſententiæ cardo vertebatur? *cum me* autem ridiculi cauſâ à te dictum eſſe video. Quod autem elegantiæ & numeris operam diligenter dari jubet, mos ipſi eatenus gerendus eſt, verba modò, & ipſa ſi fieri poterit, verborum compoſitio teneatur: ipſe certè

Hieron. Epiſt. ad Sun. & Fretell.

ve-

venuſtatis ſtudium non in Scripturæ ſolùm interpretatione deſeruit, ſed in Euſebiani etiam Chronici & in Homiliarum Origenis in Ezechielem converſione ſæpe à ſe omiſſum declarat. Inuſitatas porrò dictiones à Scripturæ interpretatione repudiat; non eas, opinor, quas tum ſolùm cenſemus admittendas, quum aliæ non ſuppetunt, & longiore ambitu ſententiæ vis foret elidenda; at eas duntaxat, quæ cùm barbaræ ſint & ab uſu remotæ, receptis aliis & elegantibus, vel brevi certè verborum concluſione poterant compenſari; cujuſmodi ſunt, quas ipſe profert, *nullificaſti*, *annihilaſti*, *annullaſti*, *vilificaſti*, *amaricaverunt:* aliis autem ſæpiſſimè ipſe uſus eſt, quæ quum res ad Chriſti religionem pertinentes & antiquis ignotas ſignificent, à recentioribus neceſſariò confictæ ſunt: talis ea eſt, quam in excuſſo mox à nobis interpretationis ſpecimine uſurpavit, *clericatus*; quo etiam in genere cenſentur, *Salvator*, *baptizare*, *evangelizare*, *ſcandalum*, *ſanctificare*, *ſanctuarium*, *blaſphemare*, & innumera ejuſmodi. Suæ ipſe ſententiæ idoneus accedat fidejuſſor Hieronymus, *Si itaque*, inquit, *hi qui diſertos ſæculi legere conſueverunt, cœperint nobis de novitate & vilitate ſermonis illudere, mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæſtionibus Philoſophiæ prænotantur, & videant* *Hieron. lib. 1. in Epiſt. ad Gal. c. 1.*

quantâ ibi neceſſitate compulſus ſit tanta verborum portenta proferre, quæ numquam Latini ſermonis auris audivit, & hoc, quum de Græco, quæ lingua vicina eſt, transferret in noſtrum. Quid patiuntur illi, qui de Ebræis difficultatibus proprietates exprimere conantur? & tamen multò pauciora ſunt in tantis voluminibus Scripturarum, quæ novitatem ſonent, quam ea quæ ille in parvo opere congeſſit. Locum memoriâ teneo, totum enim in meâ De optimo genere interpretandi diſſertatione jàm antè expoſui. Laxa porro hæc, & ſoluta interpretandi ratio non hodie primùm in hominum reprehenſiones incurrit; ſimul enim ut ſeſe in Hieronymo exeruit, ut Rufini convitia & clamores excitavit: proferrem libros & verba ſingula, ſi negares; ſed nota tibi res eſt, nec repugnas. Dicam interim, ut totam hanc ad Pammachium epiſtolam, nulla circuitione uſus, uno verbo conficit: *In illo libello*, inquit, *quem De optimo genere interpretandi intitulavit, præter tituli annotationem, nihil optimum, ſed totum peſſimum eſt.* Tota denique hæc, in quâ triumphaſti, ad Pammachium epiſtola liberiorem quamdam Hieronymi interpretationem adverſùs Rufini & Melaniæ caſtigationem tuetur: quò majori confidentiâ viſus es, Fronto, ſui tantùm defenſitandi cauſâ comparatis à ſanctiſſimo Viro

Rufin. Invect. 2. in Hieron.

Viro argumentis, ad ſententiæ noſtræ oppugnationem abuti. Quod in alio autem culpavit Rufinus, in eo ſe hærere neutiquam ſenſit: adeò foris oculata, domi cœca eſt hominum natura. De Euſebiani præterea Chronici interpretatione, quam objicis, quid ſentiendum ſit, potius eſt ut ex aliorum animadverſionibus, quam ex verbis meis diſcatis. De ſua vero converſione Origenis, ſic Hieronymus ad Theophilum, *Origenem me arguit vertiſſe in Latinum. Hoc non ſolus ego feci, ſed & confeſſor Hilarius fecit: & tamen uterque noſtrûm, noxia quæque detruncans, utilia tranſtulit*; pio quidem conſilio, ſed periculoſæ aleæ pleno exemplo; quod ſi quis ſecutus, cùm interpretem agere inſtituerit, emendatorem agat, jam verò ad interpretum libidinem omnia veterum monumenta refingentur. Plura congererem, ſed nolo eſſe longus; & jam tempus eſt, ut cum Hieronymo redeamus in gratiam. Numquam equidem adductus ſum ut crederem tantum virum, in omnis generis ſcriptorum libris pervolutatum, tot linguarùm peritum, in ipſa interpretandi exercitatione tot annos tractatum, tam præpoſterè de eo artificio ſenſiſſe, ut in explendis molliori numero ſententiis palmam eſſe repoſitam exiſtimaret; omnem verò circa verba diligentiam, ac ſollicitudinem

Hieron. Epiſt 62. cap. 2.

aſpernaretur; neque illis quicquàm crederet ineſſe momenti, ad nativos auctoris ſenſus exprimendos. At ea mihi ſemper animo inſedit ſuſpicio, eos potiſſimùm inſectatum Hieronymum, qui nimio verborum ſtudio & religione producti, ſententias ipſas pervertunt; *Alii*, inquit, *ſyllabas aucupentur, & literas, tu quære ſententias:* tum alio loco: *Non debemus ſic verbum de verbo exprimere, ut dum ſyllabas ſequimur, perdamus intelligentiam:* fatemur id quidem; ſin ita ſyllabas & verba perſequimur, ut ſubjectam iis ſententiam obtineamus, planè Hieronymo nobiſcum conveniet. Aperte is quoque declarat aſpernari ſe hæc ſervile vertendi genus, quo perimuntur vel infuſcantur certe ſententiæ, cum hæc ſcribit in Rufinum: *Omnis metaphora, ſi de alia in aliam linguam transferatur ad verbum, quibuſdam quaſi ſentibus orationis ſenſus & germina ſuffocantur.* Idem & iſtis indicat: *Sciendum quod hic locus in Græco manifeſtior ſit: dum autem in Latinum è verbo transfertur ad verbum, ſenſus ſermonibus involuti, obſcurum facere quod dicitur.* Adſonat Hilario, cujus hæc ſunt in libro De ſynodis: *Ex Græco in Latinum ad verbum expreſſa tranſlatio affert plerumque obſcuritatem, dum cuſtodita verborum tranſlatio eamdem abſolutionem non poteſt ad intelligen-*

Hieron. Epiſt. 101. ad Pamm. cap. 2. & Epiſt. ad Sun. & Fretell.

Hieron. in Rufin. libr. 2. cap. 6. & in Eph. 4. 18.

tiæ ſimplicitatem conſervare. Suas enim habet ſingulæ linguæ proprietates verborum, quas aliæ non aſſequuntur *quæque cum in aliam transferuntur linguam, videntur abſurda*; verba ſunt Auguſtini: ut quod de verbis Ebraicis dixit Interpres Eccleſiaſtici, *deficere* ea *quando fuerint tranſlata ad alteram linguam*, de univerſis liceat pronuntiare. Præclare Nicolaus Papa in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem: *Si Latinam linguam ideo barbaram nuncupatis, quoniam à tranſlatoribus in Græcam dictionem mutata barbariſmos generat, non lingua Latina, ſed culpa eſt, ut opinor, interpretum, qui quando neceſſe eſt, non ſenſum è ſenſu, ſed violenter verbum edere conantur è verbo.* Non eos culpat qui verbum edunt de verbo, ſed qui violenter; quique ſenſum non retinent. Præclare & Gregorius Magnus: *Judicamus præterea quia gravem hic difficultatem interpretum patimur. Dum enim non ſunt, qui ſenſum de ſenſu exprimunt, ſed transferre proprietatem ſemper volunt, omnem ſenſum dictorum confundunt. Unde agitur, ut ea quæ tranſlata fuerint, niſi eam gravi labore intelligere valeamus.* Clariſſime vero Largius Deſignatianus: *Cavi, fateor, ne ad verbum verba transferrem, quo minus pleraque linguarum diverſitate congruerent, ſi parum ponderis in ſignificationibus veris fieret.*

Auguſt. de vera relig. cap. 50.

Prolog. Eccleſ.

Gregor. M. libr. 8. Epiſt. 42.

Larg. Deſign. initio Marcell.

Hieron. Epiſt 65. ad Pamm. & Ocean. cap. 4.

ret. *Itaque explicandæ rei adverſus obſcuritatem conſului.* Cum autem ita diſſerit Hieronymus ad Pammachium & Oceanum: *Quid autem laboris in libris transferendis περὶ ἀρχῶν ſuſtinuerim, veſtro judicio derelinquo; dum & mutare quippiam de Græco, non eſt vertentis, ſed evertentis; & eadem ad verbum exprimere, nequaquam ejus qui ſervari velit eloquii venuſtatem:* plane oſtendit ſe eum refugiſſe morem interpretandi ad verbum, quem non pateretur linguarum indoles, qua una eloquii venuſtas conſtat.

Hieron. Epiſt. 153 ad Paulin.

Cum cæteroquin ad Paulinum profiteatur ſe in his libris vertendis *eam ſervaſſe menſuram, ut nec adderet quid, nec demeret, Græcamque fidem Latina integritate ſervaret.* Nec aliter nobis viſum eſt; eatenus enim verbis cenſemus inhærendum, quoad ferre id poteſt ingenium linguæ, ſermonis perſpicuitas, & integritas ſententiarum. Aliis quoque locis verborum curam abjicere ſe teſtatur, cum ea retinere ſe poſſe deſperat: *Unde & nos*, inquit, *propter paupertatem linguæ, & rerum novitatem, & ſicut quidam ait quod ſit Græcorum & ſermo latior, & lingua felicior, conabimur non tam verbum transferre de verbo, quod impoſſibile eſt, quam vim verbi quodam explicare circuitu.* Si quando vero fieri id poſſe credidit, tum religione verborum aſtringi ſe paſſus eſt:

Hieron. in Eph. 1. 4.

puta

puta cum Origenis Epiſtolam ad Alexandrinos ad verbum ſe reddidiſſe ſcribit; Ruſinum, quod aliter fecerit, evertiſſe omnia, non vertiſſe. Faſtidioſam autem hanc quam dixi, ineptorum interpretum ſeveritatem dum exagitat, hominem acrem, & in diſputando perpugnacem extra oleas igneus animi vigor nonnumquam abripuit. Quòd verò in librorum quorumdam interpretationibus tam ſolutè & licenter aliquando verſatus eſt, & aliqua ei etiam quandoque humanitùs exciderunt, id viro ſanè condonandum eſt tot negotiis & occupationibus impedito, ut idoneum unicuique rei ac debitum tempus impertire nullo modo poſſet: dum enim aliqua ſcriberet ipſe; alia ſæpe notario dictare, & in varias curas ac multiplices cogitationes mentem diſtrahere cogebatur. Quæcunque autem otioſo animo & vacuo elaboravit, neque majorem in iis diligentiam, neque copioſiorem eruditionis frugem, neque acriorem ingenii vim, neque temperatiorem judicii maturitatem deſideres. Cujuſmodi eæ haud dubiè fuerunt Scripturæ ſacræ interpretationes duæ, quarum è Senioribus Septuaginta, prout in Origenis Hexaplis habebantur, puris nimirum & integris, unam; ex Ebraicâ veritate alteram effinxit. Quæ enim hominis integerrimi pietas fuit, & adverſùs

Hier. adv. Rufin. libr. 2. cap. 5.

Verbum Dei reverentia, cùm ſacras paginas, qnibus continetur illud, pertractaret & exponeret, neque induſtriæ ulli pepercisse, vel labori, neque ſibi quicquam reliqui feciſſe veriſimile eſt. Vulgata quidem Editio, quam Hieronymo magnâ ex parte acceptam referimus, & à quâ tota hæc de eo orta eſt concertatio, ejuſmodi eſt, quæ nulli ſuperiorum, meo judicio, decedat. Neque moror Palladii Galatæ, & Rufini reprehenſiones, quos Hieronymianæ laudis invidia mente excæcatos in ejus interpretationem præcipites egit: nec Auguſtini item caſtigationem; hi quippe non Hieronymianæ interpretationis fidem, ſed tempus & opportunitatem improbarunt. Inſulſa quoque contemno hominum quorumdam judicia, qui in ſcirpo nodum quærunt; quaſi terræ Solem collucere gravemur, quòd levibus fortaſſe maculis infuſcatus ſit. Nimia eſt miſeria delicatum eſſe hominem nimis. Fr. Ego quidem ſic ſentio; opus hoc carere mendis quicunque perfrictâ fronte pertenderit, ipſi Hieronymo mendacii contumeliam in os ingeret, qui ſexcentis id locis ultrò emendat: at iniquior longè & impudentior fuerit, quiſquis illius auctoritatem idcirco repudiârit: quæcunque enim in antiquâ hac, & tot retro ſæculorum uſu comprobatâ interpretatione reprehendi vul-

gò ſolent, levia ſunt, & ſummæ futilitatis plena; tricæ nimirum & quiſquiliæ ex imâ fæce Grammatices, *non tam interpretis culpâ, quàm ſcriptorum* obortæ *vitio*; è quibus tantum opus ſpectare injuria ſit, hominúmque parùm conſideratè agentium. Sed hunc errorem vereor ut eripere poſſimus. CAS. Hæc quidem abs re, nunc verò in eo diſputamus, an ad verbum excuſa illa ſit, nécne; cujus quidem controverſiæ Hieronymum ipſum arbitrum, & judicem non defugio. Sic ille verò in Prologo Galeato, *Et quum intellexeris quod antea neſciebas, vel interpretem me æſtimato, ſi gratus es; vel paraphraſten, ſi ingratus: quanquam mihi omnino conſcius non ſim mutâſſe me quippiam de Ebraicâ veritate. Certè ſi incredulus es, lege Græcos codices & Latinos, & confer cum iis opuſculis, quæ nuper emendavimus: & ubicunque diſcrepare inter ſe videris, interroga quemlibet Ebræorum, cui magis accommodare debeas fidem: & ſi noſtra firmaverit, puto quod eum non æſtimes conjectorem, ut in eodem loco mecum ſimiliter divinârit:* ſic in eâ præfatione, quam libro Paralipomenon præfixit, *Si quis in hac Editione voluerit aliquid reprehendere, interroget Ebræos*, quorum eruditiſſimos hujus laboris ſibi adjunxiſſe comites paulò antè ſcripſit. Idem in præfatione libri Eſther, *Librum Eſther variis*

Sebaſt. Manſter. Præfat. ad Bibl. Ebr. & Lat.

riis tranſlatoribus conſtat eſſe vitiatum, quem ego de archivis Ebræorum revelans, verbum è verbo expreſſiùs tranſtuli: & in eâ ipſâ toties à te laudatâ ad Pammachium Epiſtolâ, ſe in aliis quidem interpretationibus res ſpectare, non verba pendere ſcribit; in Scripturis verò, *ubi & verborum ordo myſterium eſt*, (ſic enim lego) non item: quam nempe aliis dabat veniam, eam ipſe ſibi non tribuebat. Rabbini ipſi, Chriſtianis licèt, & tritæ à Chriſtianis Librorum ſacrorum Editioni infenſi, verè Hieronymum dixiſſe teſtantur, nihil à ſe immutatum, quum de Ebræis Latina converteret. At cùm laciniis ex Italicâ antiquâ detractis conſuta ſit Vulgata noſtra, & ad Hieronymianam adtextis; ad κοινὴν autem Septuaginta Interpretum Editionem Italica comparata ſit, minimè mirum ab Ebræis Vulgatam aberrare nonnumquam, à quibus κοινὴ illa tantopere diſcrepabat. Pluribus præterea locis elegantiam & venuſtatem interpretibus commendat Hieronymus, vocibus barbaris interdicit, ita ut à te, Fronto, demonſtratum eſt; eâ tamen lege ſe ipſe ſæpiſſimè abſolvit, quemadmodum ſuprà jam oſtendimus. Diſertiſſimè verò ſuam his ſententiam patefecit verbis, *Non enim cura nobis eſt vitare ſermonum vitia, ſed Scripturæ ſanctæ obſcuritatem quibuſcunque verbis diſſerere.* Idem alibi,

Hieron. in Ezech. cap. 40. & 47. & Epiſt. 103. ad Paulin.

bi, *Nolo offendaris in Scripturis ſanctis ſimplicitate, & quaſi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de induſtriâ ita prolata ſunt, ut ruſticam concionem faciliùs inſtruerent, & in unâ eadémque ſententiâ aliter doctus, aliter audiret indoctus.* Nec aliam ob cauſam ad Judicis tribunal ſe graviter vapulâſſe refert, quàm quòd ſacras Literas, propter inculti ſermonis horriditatem aſpernaretur. Præclarus eſt locus, & ad rem accommodatus, quem totum vos hortor ut recognoſcatis. Quòd ſi quam denique ſibi aliquando licentiam arrogavit; homini quidem divinæ gratiæ dotibus, & cœleſti luce perfuſo, nullo erroris metu, à trito calle recedere licuit: nos autem homuli in veniens ævum perniciem trahenti exemplo abuti certè non debemus. Cùm è dimicatione denique pedem referres, adjeciſti tela à Cicerone & Gellio mutuata, non tam ad pugnam, quàm ad pompam & ſpeciem; lentè ſiquidem, & imbecilliter acciderunt. Quum enim indiſerti Interpretis eſſe dixit Cicero verbum exprimere de verbo, eam, quæ nunc eſt in manibus, interpretandi rationem nequaquam intuitus eſt; ſed id quæſivit, licerétne Catoni à Græcis impoſita rebus nova nomina, inauditis vocabulis Latinè referre; tum ſubjecit, verba enim teneo, *Nec tamen exprimi verbum è verbo neceſſe*

Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtoch.

Cic. 3. de Finib.

ceſſe erit, ut interpretes indiſerti ſolent: cùm ſit verbum, quod idem declaret, magis, minùſve uſitàtum. Equidem ſoleo etiam, quod uno Græci, ſi aliter non poſſum, idem pluribus verbis exponere: & tamen puto concedi nobis oportere, ut Græco verbo utamur, ſi quando minùs occurret Latinum, ne hoc ephippiis, & acratophoris *potiùs, quàm* Proëgmenis, *&* Apoproëgmenis *concedatur. Quanquam hæc quidem* Præpoſita *rectè, &* Rejecta *dicere licebit.* Vides aliò locum hunc pertinere, neque ad nos quicquam. Acutè deinde Ciceroni ipſi reſpondes, ſed non perinde forſitan verè; quotieſcunque enim ſe ad verbum interpretari profeſſus eſt Tullius, id non ita accipiendum eſſe doces, quaſi ſe ad verbum interpretari dixerit, ſed quaſi laxè & remiſsè: mirum profectò diſertiſſimum Romuli nepotum, habitum hominem tam infantem & inopem verborum, ut quùm rem apertam & facilem enuntiare vellet, contrarium ſignificaret. Num inſidias itidem Miloni à Clodio inſtructas cùm fuiſſe tantâ contentione confirmat, id fortaſſe judicibus perſuaſum eſſe vult, Milonem ipſum Clodio inſidias collocâſſe? arbitror equidem; poſt cauſam enim à ſummo Oratore peroratam exilio multatus eſt Milo. Sed quo tandem auctore abditos Ciceronis & perreconditos ſenſus perveſtigas? Cicerone, inquis, ipſo, qui cùm liberiore converſione locum è Plato-

ne

ne petitum expoſuerit, ſe verba tamen ipſa dicit Platonis expreſſiſſe: at hùc iterum redit ſuprà adversùs Hieronymum comparata reſponſio, aliud nimirum agere interpretem, aliud diſputatorem iu rem ſuam auctorum teſtimonia colligentem: illum verba perſequi debere, hunc nullis anguſtiis contineri; qui ſi ſe ipſe tamen aliquando contineat, verborùmque vel minimam religionem ſervet, eò fidei & caſtitatis merebitur laudem, & verba quoque ipſa dicetur expreſſiſſe, quò licentiæ & infidelitatis criminationem interpres ſuſtinuiſſet. Jam verò Ciceronem vide, utrùmne De divinatione diſputans, ſententiam ſuam auctoritate Platonis fulcire ſtuduerit, Platonèmne interpretari. Is præterea, inquis, Ennii, Pacuvii, Cæcilii, & Terentii fabulas ſcribit ad verbum fuiſſe converſas, cùm in iis tamen ne ſententias quidem omnes relatas fuiſſe conſtet. Parùm ſanè rem videris perſpexiſſe, Fronto; non enim Græcas fabulas ita Latini Poëtæ vertebant, ut integras eas, ſtrictène an laxè, jam non diſputo, ſemper repræſentarent: ſed diverſas è variis fabulis partes, quaſi pannos in unum centonem conſuebant. Adelphos è Menandro tranſtulit Terentius, è Diphili tamen Synapothneſcontibus eam deſumſit partem, quâ lenoni meretricem eripit adoleſcens; eandem hanc Diphili Comœdiam Plautus Commorientes fabulam fecit, eundèmque

locum

locum à Terentio deinde uſurpatum, integrum reliquit. Quorſum hæc? eò nempe, è variis fragmentis ita conſarcinarî fabulas, ut interpolata ea nonnumquam, nonnumquam integra, & ad verbum expreſſa ab interprete referantur. Terentium ipſum teſtem appello,

Terent. Prolog. Adelph.

eum hic locum ſumſit ſibi
In Adelphos, verbum de verbo expreſſum extulit;

è Diphili nempe laudatâ Comœdiâ, cùm Cicero tamen id ſcriptum reliquerit, *Delectat Ennius, Pacuvius, Accius, multi alii, qui non verba, ſed vim Græcorum expreſſerunt Poëtarum.* Fabulæ ergo totæ è totis, non ad verbum, ſed pro interpretis arbitrio, multis etiam reciſis & immutatis, converſæ ſunt; ſelectis tamen quibuſdam & ſplendidis nonnumquam ad verbum expoſitis, quaſi luminibus, illuſtrantur. Præclarè Cicero, *Locos quoſdam, ſi videbitur, transferam, & maximè ab iis, quos modò nominavi, cùm inciderit, ut id aptè fieri poſſit, ut ab Homero Ennius, Afranius è Menandro ſolet.* Gellii autem, cujus favorem ambis, locus ille, quem profers, de nihilo eſt: non modò enim de poëticis interpretationibus, ſed de ſententiis etiam inſignibus, è Græcis poëmatis carmine relatis, hoc capite diſputat. Ejuſmodi autem interpretationes ipſo jam diſſertationis noſtræ initio, ab eâ, tuo conceſſu, repulſæ ſunt. Ecquemnam verò interpretandi modum Gellius ipſe ſecutus ſit, aliàs

Cic. 1. Academ.

Cic. 1. de Finib.

aliàs diſquiremus. At Maimonidæ, in cujus nomine finem feciſti, ſi attentis oculis perluſtraſſes epiſtolam, quantùm inde noſtræ ſententiæ roboris accedat, intellexiſſes; nedum ejus tibi auctoritatem prætendiſſes: moroſam enim hanc tantùm verborum curam rejicit, quæ tenebras affundit orationi, geniùmque linguarum peſſundat: eum verò duntaxat ordinem dictionum damnat, è quo commoda nulla ſententia, ſed mera barbaries, tenebræ meræ exurgunt. Nec ego ſecùs ſentio; eatenus enim verbis, verborùmque ordini dandam operam ſtatuo, quatenus id linguarum facultas patietur. Interpretum denique omnium optimam & maximam partem cùm tibi vindicas, facis arroganter, qui id ſumas, quod velis, & quaſi tuo jure arripias; non quid tibi concedatur, attendas. Vereor autem ut occupatam à te controverſi juris poſſeſſionem tueri poſſis, ego quidem ex jure manu conſertum voco: & ut hæc ita ſe habere concedam, Fronto, quæ ſunt longè ſecùs, rem ſemper ex ratione, non ex auctoritate, ut ex virtute exercitum, non ex numero ſpectandum eſſe duxi.

Deſine quapropter, novitate exterritus ipsâ,
Deſpuere ex animo rationem, ſed magis acri
Judicio perpende, & ſi tibi vera videtur,
Dede manus, aut ſi falſa eſt, accingere contrà.

Fr. Non luctabor tecum ampliùs, Caſaubo-

ne; quis enim tantam vim ſuſtinere poſſit? quidquid autem à me contradictum eſt, in iis potiùs quæ dubia erant & obſcura, ſententiæ tuæ penitus cognoſcendæ, quàm refellendi tui causâ propoſuiſſe me rectè conjeciſti. Omnia autem ratione ita communiſſe viſus es, ut nullus jam argutiis aditus pateat. Fronte itaque occultavi ſententiam, re ipsâ planè aſſenſus ſum. Cas. Mirabar, ſi illa te his artibus eruditum fallerent. Fr. Nunc verò pergamus ad alia, & poſtremam ſermonis à te inſtituti partem, quâ inter varios Interpretes dijudicaturum te dixeras, abſolvamus; niſi quid aliud fortaſſe Thuano placet.

VIII. Diſputationis ἀνακεφαλαίωσις.

Thv. Nihil mihi quidem, nam & hæc pulchrè compoſita eſt inter vos controverſia, arbitriúmque meum non poſtulat, & à te, Caſaubone, iſtam diſputationem perfici volo; ſed ſingulæ videntur ejus colligendæ partes, quæ membratim à te ſparſæ ſunt, & in unum veluti componendæ corpus, priuſquàm ad ulteriora progrediamur. Cas. Quanquàm id à me neutiquam ſcitati eſtis, optimi Viri, quibus præceptis interpretem contineri vellem, ſed id quæſiviſtis tantùm, quod genus interpretationis rectiſſimum ſentirem, video tamen, quàm poſtulata fuerant, plura me præſtitiſſe; nunc verò quæ ſponte largitus ſum, quaſi jure veſtro repoſcitis; non obſiſtam tamen veſtris ſtudiis, præſertim in optimâ

mâ re & utili, & diſſipatas diſputationis hujuſce partes vobiſcum recognoſcam, & ſub unum veluti aſpectum collocabo. Omnino tria ſunt, quæ ad veram interpretationis laudem neceſſariò requiruntur; religio in exponendis ſententiis; fides in referendis verbis; ſumma in exhibendo colore ſollicitudo. Sine iis tribus, inanes quippe ſint interpretum conatus, & vana induſtria. Sententiæ igitur ita exponendæ ſunt, ut verbis includantur iiſdem; verba ita conſectanda ſunt, ut ex iis efflore ſcant ſententiæ; ita congruere debent ſententiæ, & verba, ut ex utriſque forma, ſapor, & character exurgat. Omnis in iis rebus vis eſt interpretis exprimenda. Quiſquis ita ſententiis dat operam, ut verba negligat; vel ita ſtudet verbis, ut ſententias labefactet; vel ita demum ſententias & verba perſequitur, ut ſaporem peſſundet, is boni interpretis laudem ac decus amittit. Tria ad hæc alia ſunt, quæ ab interprete non exigam quidem, expectem certè & exoptem: ut ſumma inſit in interpretatione perſpicuitas; ut elegans ſit & concinna; ut opus αὐτοφυὴς, non alieni interpretatio credi poſſit. Hæc modo patiatur debita auctori fides; qui ſi vel obſcurus fuerit vel inconditus, talis in interpretatione appareat. Sed ita tamen ut opacitas illa & impuritas, totæ auctoris ſint; quæcumque vero erant interpretis, quoad ejus fieri poterit, clara

 omnia

omnia ſint & amœna. Tribus hiſce prioribus addideris poſtrema hæcce tria, omnibus nimirum abſolutam numeris interpretationem procuraveris. Ita fit ut omnis interpretis virtus ſex è rebus exiſtat, ſed ex his tribus præcipuè, religione in ſententiis, fide in verbis, ſollicitudine in colore; tum ex illis deinde etiam tribus, eximiâ perſpicuitate; venuſtate; & eo quod Hieronymus, *vernaculum*, nos, αὐτοφυὲς, appellamus. Quæ ſi quis univerſa fuerit complexus, punctum is omne tulerit. Verùm cùm varius ſit genius linguarum ac multiplex, & maximæ incidant ſæpenumerò diſſenſiones; harum partem aliquam laudum abs ſe amittere nonnumquam cogitur interpres, quamlibet diligens ac ſtudioſus; & præclarè ſecum agi perſæpe putat, cùm extortis à ſe levioribus, præſtantiores potuit, ac præcipuas obtinere. Quemadmodum enim onuſtam mercibus navim ſi medio in mari coorta deprehendit tempeſtas, ipſóque jam depreſſam onere fluctus ingruens obruit; vilium quarundam primò, mox etiam, ſi ita res tulerit, pretioſiſſimarum mercium nauta jacturam facit, eáque ſibi tantùm ſervat, quæ ſunt ad vitam tolerandam neceſſaria: ita in medio lucubrationis ſuæ curſu difficultatibus impeditus interpres, ſi inſtitutum iter tenere non poterit, præceptionum noſtrarum, quaſi impoſiti ſibi à nobis oneris, partem abjiciet; eáſ-

Hieron. Præfat. in Euſeb.

eáſque tuebitur ſolùm, ſine quibus interpretatio ſtare non poteſt. Αυτοφυὲς itaque illud primò deponet, ſi id interpretationis anguſtiæ poſtulabunt; nec graviter feret, ſi hoc quod molitur opus, non nativum, ſed aliunde derivatum, ut eſt, ita eſſe videbitur. Proxima erit elegantiæ jactura; quo uno non ſermonis ſolúm munditiam & caſtitatem, ſed numeros etiam, qui Græcè ῥυθμοὶ appellantur; ληκύθους, hoc eſt, pigmenta & floſculos; aptam verborum coagmentationem; omne denique delectationis aucupium comprehendo. Tum inſignem deinde illam, & ſummam perſpicuitatem abjiciet interpres: quod non ita à vobis accipiendum eſt, quaſi tenebris orationem opacari velim; ſed mediocri luce contentus, quæ involuta erunt & obſcura, ſagacitati lectoris evolvenda relinquet. Tria reliqua retinebit mordicús, nec ab iis umquam divelletur: quòd ſi ea fortè vis aliqua major excuſſerit, quaſi ereptam ſibi poſſeſſionem continuò recuperabit: colori ipſi verba, verbis ſententias anteponet; in quibus efferendis præcipuus interpretis labor conſiſtit. Forma effingi non poterit; quàm ſimillima inducatur: verba refundi eadem non poterunt, aſciſcantur proxima quæque, numerus idem, vel non multo certè diſpar numero reſpondeat: ſententiæ verò ipſæ, integræ, omníque ex parte perfectæ & ſimiles transfe-

rantur; nec ſibi vel minimúm quicquam in iis convertendis interpres licere putet. Quòd ſi in reliquis nonnulla, adductus neceſſitate, prætermittat; præſtet fidem ſuam & verecundiam, vitandâ licentiâ, & interpretationis immoderatione; ídque det operam ut vi, non ſponte hanc à ſe uſurpatam facultatem nemo ſit quin agnoſcat. Hinc igitur ſatís manifesto id cogitur, illud potiſſimúm fugiendum eſſe interpretationis vitium, ne levioribus graviora; & vel τῷ αὐτοφυεῖ, vel concinnitati, vel perſpicuitati, ſententiarum, verborum, colorìſve fides decedat. Hinc illud quoque extat, quantùm eos fugiat ratio, qui in eo præcipuam interpretationis verſari laudem arbitrantur, cum expolitione quadam diſtincta eſt, & artificiosâ verborum concluſione apta; qui numeris interpretem ſervire volunt, & limatum dicendi genus conſectari: perverſa & levis opinio, ac longâ animi proviſione fugienda, quæque ſuprà à me exploſa orationem meam non deſiderat. Hanc ſanè qui tuentur, videant ne inſcitiæ latebram quærant; facilius quippe eſt plenam dicendi & unctiorem ſervare conſuetudinem, quàm in auctoris obſequium orationis ſuæ curſum temperare; ſuo, quàm alieno ſtomacho ſcribere: adeò ut quum Xenophontis Oeconomicum Tullius ipſe convertit, *ſæpe aureum illud*, ait Hieronymus, *flumen eloquentiæ ſcabris*,

Hieron.

bris, *& turbulentis obicibus retardetur*, *ut qui* *Præfat. in Euſeb.* *interpretata neſciant*, *à Cicerone dicta non credant*. *Difficile eſt enim alienas lineas inſequentem non alicubi excedere*; *arduum*, *ut quæ in alienâ linguâ bene dicta ſunt*, *eundem decorem in tranſlatione conſervent*. Planè huc facit Tullii *Cic. in Orat.* ejuſdem præſcriptio oratoribus quidem tradita, at ſanctiùs etiam interpretibus obſervanda; *Verba*, inquit, *verbis coagmentare negligat*, *habet enim ille hiatus*, *concurſu vocalium*, *molle quiddam*, *quod indicat non ingratam negligentiam*, *de re hominis magìs*, *quàm de verbis laborantis*; de fide nempe Auctori præſtandâ magìs, quàm de ſuâ dicendi facultate periclitandâ. Tum deinde, *Removebitur omnis inſignis ornatus*, *quaſi margaritarum*: *nec calamiſtri quidem adhibebuntur*. *Fucati verò medicamenta candoris*, *& ruboris omnia repellentur*; *elegantia modò*, *& munditia remanebit*. *Sermo purus erit*, *& Latinus*; *dilucidè*, *planéque dicetur*. Nec enim barbarum aliquem, obſoletum, & horridum; neque verò fucatum, unguentatum, & cincinnatum; ſed mundum, verecundum, caſtum, & ſimplicem; hiſpidum tamen, ſentum, & ſquallidum potiùs, quàm infidum interpretem poſtulamus; quìque hanc verborum redundantiam & luxuriem coërceat, neque aures noſtras oppleat vaniloquentiâ ſuâ. Meminiſſe ſiquidem debet interpres ſe determinatis

circumcluſum finibus, extra quos evagari non liceat: ſe alteri mancipatum, arbitrio ſuo morigerari non poſſe, ſed totum ex alieno nutu pendere. Neque verò moroſi uſque adeò ſumus & difficiles, ut ſi ſumma illa in transferendis verbis & charactere religio ſine ingenti aliqua orationis obſcuritate & barbarie retineri non poſſit, veniam aliquam non concedamus; eâ modò interpres intemperanter non abutatur, & nihil perſpicuitas ſermonis, vel caſtitas de veritate decerpat. Hæc autem omnia judicio moderanda ſunt, neque certis poſſunt ſingula legibus circumſcribi. Videtis, clariſſimi viri, quàm non in medio omnibus rectè interpretandi palma poſita ſit, ſed perrecondita, & à ſemidoctorum hominum conatu longè remota: quam quiſquis perſequitur, longo uſu exploratum habere debet,

Quid valeant humeri ferre, quid recuſent.

Ars quippe hæc plana omnia, & aperta fronte promittit; contortas verò res ac difficiles occultat in receſſu, prolixè ab Hieronymo in Euſebianâ præfatione commemoratas; quæ quantum artis ac ſtudii deſiderent, pluribus exponerem, ſi hoc eſſet præcipiendi tempus; ſed neque id vos quæritis, & judicem eſſe me, non doctorem vobis jam ſuprà dixi. Thv. Imò verò, quando hæc attigiſti, ne quid deſit diſputationi huic, locum iſtum, niſi moleſtum eſt, carptim, ut voles, leviterque perſtrin-

ſtringes; cùm id quoque videas à Frontone expectari. Cas. Succurram itaque expectationi veſtræ, quanquam iſta minùs apta ſunt huic ſermoni. Quicunque ergo interpretis petiſſit laudem, doctrinâ puerili diligenter inſtitutus, ſtilum longâ exercitatione procudat, & implicatas animi notiones aſſiduo ſcribendi uſu planè ac dilucidè evolvere inſueſcat: tum linguæ, quam ſuſcipit interpretandam, accuratam animo notitiam hauriat; nec ſententias ſolùm leviter percepiſſe contentus, ad alia pergere; ſed ſingulas etiam ſingulorum verborum proprietates enucleatè conſectari debet, & ad vivum reſecare. Auctori præterea ad quem convertendum accingitur, familiariter ſeſe adjungat; longâque & frequenti tractatione, ipſius ingenium, ſermonem, ac doctrinam periclitetur. Rerum omnium comparet peritiam, non earum modò, quæ ab ipſius auctore ex inſtituto deſcriptæ ſunt & pertractatæ, ſed reliquarum etiam, quarum doctrinâ inſtructus Auctor ad ſcribendum acceſſit: ut ſi quis in interpretando Platone operam ſuam collocare velit, non in Philoſophicis modò, ſed in Geometricis etiam omnino ſit erudiendus: quas enim ex diſciplinis hiſce exoticis voces, locutiones, argumenta, comparationes, aliáve id genus derivavit, harum ſignificationem animo numquam conſequetur interpres, niſi in iiſdem

IX. Ars interpretandi paucis explicatur.

doctrinis ſtudioſè fuerit ; multúmque ſubactus. Ad hæc ingenio ſuo moderari poſſit, ſeſéque ad alterius arbitrium ita componat, auctoríſque formam ita induat, ut totus ipſe ſub alienâ ſpecie deliteſcat ; & quocunque oculos lector vel perſpicaciſſimus intenderit, auctorem cernat ; ipſe interpres nuſquam appareat. Sic itaque paratus animum ad interpretandi ſtudium fidenter appellat : tum ſingulas auctoris ſui partes, ac periodos antequam membratim exponat, locum omnem repetitâ lectione pertentet & perſpiciat ; & poſtquàm eum attentâ cogitatione ſepſerit, verba idonea ſeligat, *ἰσοδυνάμως ἰσόῤῥοπα*, vel iis quàm proxima : ea deinceps in quadrum & ordinem, pro linguæ facultate, ſimilem compingat. Et magnos demum in eo curriculo poſtquàm labores exceperit ; nullum inde, vel exiguum certè gloriæ fructum ad ſe ſperet eſſe perventurum. Quicunque enim ad eam artem rectis ſtudiis contendit, non in vulgi favore & laudibus, ſed in optimè & utiliter collocatæ operæ & facultatis conſcientiâ, quemadmodum virtutis in ſeipsâ, præmium poſitum eſſe intelligat. Inde fit ut rectè interpretandi ars ad tam paucos reciderit : ea eſt judiciorum perverſitas. Sic enim vulgò perſuaſum eſt ; non ingenii viribus, ſed ignobili & improbo labore fidam, quam requiri-
mus,

mus, & preſſam interpretationem admi-niſtrari: cujus opinioni levitas jam ſatís eſt ex ſuprà dictis confutata. Magnus verò eſſet ille locus, & Grammaticæ forent interpreti præceptiones tradendæ, ſed ad id quod agitur, illud ſatís; & jam ſæpe non quâ arte perfecta concinnetur interpretatio docere me, ſed quodnam ſit optimum interpretandi genus judicare teſtatus ſum. Quibus rebus expoſitis; quæ maximè ad interpretationis abſolutionem pertineant, ſatìs docuiſſe videor: ego verò, quicunque ſum in eo ſtudio (quando vobis aliquis eſſe videor) non parùm tamen ab exquiſitâ illâ perfectione diſtare me ſentio; nam & me res perſæpe vincit ardua ac difficilis; & ipſe etiam, ut dixi, aliquantùm ætatis hujus errori adhæreſco: qui certè nobis eſſet, te præſertim duce, Fronto, contemnendus: ne me verò tibi aſſentari putes, cur ita ſentiam prætermitto. Reſtat ut ad propoſitam normam varias doctorum hominum Interpretationes perpendamus: quæ nobis extrema pars in dividendo fuit. Sed quoniam adveſperaſcit, ſi ita vobis commodum eſt, reliqua in craſtinum differemus. Meum interim De optimâ interpretandi ratione judicium ita vobis probari velim, ut quidquid hujus eſt, non aliorum redarguendi ſtudio propoſi-

poſitum à me exiſtimetis; ſed quod illiberale eſſe ducam,

Artem pudere proloqui, quam factites.

LIBER

LIBER SECUNDUS,
DE
CLARIS
INTERPRETIBUS:
AD
ANDREAM GRANDORGÆUM.

DUBITAVI ſæpenumerò, ANDREA, detrimentíne plus in Rempublicam literariam invexerit interpretandi ars, an emolumenti. Quum enim ingenioſi homines ad capeſſendam diſciplinarum cognitionem à naturâ ſatis haberent inſtrumenti, labore & diligentiâ parùm valerent; neglectâ linguarum, quibus diſciplinæ continentur, notitiâ, & pellucidis auctorum fontibus relictis, lutulentos conſectari rivos, & inquinatiſſimis inter- I. Exordium primum, de commodis, & incommodis, quæ ex interpretandi arte in literas profluxerunt.

interpretationibus adhærere maluerunt. Quò factum eſt, ut qui incautis interpretibus errores exciderant, leves primò & exigui, novorum porrò acceſſione aucti, latéque deinceps propagati, ingenuas artes univerſas occuparint. Quot enim è peſſimis Arabum interpretationibus in nobiliſſimas diſciplinas, Medicinam dico & Mathematicas artes, errorum monſtra profluxerunt; quorum non antè elidi potuerunt ſtirpes, quàm adhibitis Græcis exemplaribus, inſinceræ interpretationum partes reciſæ ſunt? Ad hæc ipſa linguarum peritia, magna per ſeſe & non ignobilis, hinc in contemtum adducta eſt: unde inertium hominum, & doctrinas cum deſidioſâ voluptate rimantium alita ſegnities eſt, quæ verò labore acuitur induſtria, obſolevit. Quâ ratione, opinor, viri ſummi & in literis egregiè verſati Marullus Tarchaniota, & Janus Laſcaris in eam potiſſimùm ſententiam ducti ſunt, ut omne hoc vertendi munus aſpernandum, repudiandúmque cenſerent. At ſi rem ex veritate propiùs ſpectare velimus, non ex ipſâ interpretandi arte, ſed ex malè inſtitutis interpretum rationibus ac ſtudiis; vel ex ignavâ quadam puſilli animi ſocordiâ, ejuſmodi incommoda extitiſſe reperiemus. Nam quid utilitatibus ſtudioſorum accommodatius poterat excogitari, quàm ad diſciplinas ipſas

Paul. Jov. in Elog.

ipſas proximam hanc, & compendiariam viam iis communire, quibus ad immenſum perdiſcendarum linguarum laborem exhauriendum ſatìs ab re ſuâ otii non erat? Sic enim ab Iſidoro locupleti teſte proditum eſt, Reges, Réſque publicas comparatis diverſarum gentium voluminibus, ut in patriam linguam converterentur, accurâſſe: quòd multis videlicet implicati & conſtricti, ad conquirendam hanc linguarum ſupellectilem tempus idoneum conferre non poſſent. Quid verò eâ arte præclarius, cujus præſidio homines vel ignotiſſimo ſermone prolocutos intelligere, & per univerſas nationum omnium artes peregrinari poſſimus. Optimè id quidem Clementi Quinto Pontifici Maximo perſpectum eſt, cùm ad linguarum ſtudia, libróſque exoticos Latinè transferendos, in Concilio Viennenſi, ſapientiſſimo Decreto Chriſtianos omnes excitavit. Adde & hoc exercitationis genere verborum proprietatem, ſplendorem orationis (verba ipſa ſunt & ſententia Plinii) copiam figurarum, explicandi vim, inveniendi facultatem, intelligentiam præterea & judicium parari. Numquam ergo ſatìs ea à nobis laudari poterit exercitatio; nec ii pro merito ſatìs derideri, qui ejus dignitatem labefactare & dictis extenuare conantur: præpoſteri homines & odioſi, artificum

Iſidor. lib. 6. Orig. cap. 3.

cum inſcitiam in artem ipſam conferentes. Veriſſimum quippe ex infinito doctorum numero, à quibus concelebratum hoc ſtudium enituit, paucos admodùm huïc muneri ſatisfeciſſe, ut vix unicuique ætati tres probi interpretes conſtiterint. Quò magìs ad perdiſcendas linguas animo & ſedulitate conniti debent adoleſcentes, quarum ignoratione in interpretum mendis toto ſtudiorum decurſu verſabuntur, & acerbiſſimas negligentiæ ſuæ pœnas ferent. Id autem ne cui ſit obſcurum, præſtantiſſimos quóſque gentium omnium & ætatum interpretes altero hoc appellabimus libro, & ipſi Caſaubono, ex inſtitutis ſuperiore diſputatione traditis dijudicandos permittemus. Quum enim ad illum Thuanus & Fronto, prout inter ipſos convenerat, poſtridie in Bibliothecam Regiam rediiſſent, ſalutatóque eo aſſediſſent, ita Fronto exorſus eſt.

II. 1. Exordium ſecundum. FR. Etſi quotieſcunque ad te venio, Caſaubone, magno id ſtudio facere ſoleo, mea tamen præter ſolitum hodie incenſa alacritas eſt, quum ea de te audiendi, quæ heſterno die pollicitus es, ſumma me teneret expectatio. THV. Me quidem quum forenſis labor, & domeſticæ curæ revocarent, huic Horatii præcepto parui,

rebus omiſſis
Atria ſervantem poſtico falle clientem:

quaſi

quaſi ad lautam vocatus cœnam; tua quippe oratio, Caſaubone, tantâ ſuavitate & doctrinâ condita eſt, ut quovis opſonio mihi ſoleat eſſe jucundior. CAS. Mihi verò etſi gratiſſima cauſa eſt, quæcunque homines mihi amiciſſimos huc attulerit, minimè tamen ea mihi omnium placet, quam dicitis: diſputationem enim expectatis à me, copioſam illam quidem, ſed lubricam ac perdifficilem. Quæ enim in me facultas eſt, ut non alieni ſolùm artificii exiſtimator, ſed magiſter etiam ac diſceptator ſedeam, & viros orbis totius, omníſque veteris memoriæ eruditiſſimos cauſam apud me, non capitis, ſed famæ & exiſtimationis dicere cogam? Quod profectò inſtitutum ut exequar ſi animo obfirmato pertenderitis, alterutrum evenire neceſſe eſt, vel ut malevolorum in me concitetur invidia & odium, ſi ſuſceptam provinciam rectè & integrè procuravero, & res emanet in publicum; ſin ſecùs, ut omnium irriſione deludar. Geram tamen vobis morem, quum & id omnino velle videaris, Fronto, & hoc idem Thuanum auditurum eſſe videam. THV. Verò, ac libentiſſimè. Nihil enim mihi poteſt eſſe optatius, quàm te de re & auditu jucundâ, & ſcitu dignâ, & non ſatís cognitâ, eruditè, ut ſoles, differentem audire. FR. Longè verò mihi gratiſſimum

erit illud: tantum enim nobis eſt otii, quantum jamdiu non habuimus, & ad eam partem explicandam, quam, ſpe jam præcepimus, inſtructiſſimus eſt, ſi quiſquam alius, Caſaubonus, & huc omnino ſpectat heri inſtituta diſputatio. CAS. Faciam igitur, ut vultis, viri optimi, nec verebor ne ſi quid promittam; præſtare non poſſim: quoniam enim vos eâ dignitate, & ingenio homines hanc mihi operam ad audiendum conceditis, aliquid in me ſitum eſſe facultatis ſperare videor. At primo ſeſe aditu immenſa rerum ſeges offert: hinc ſacri, inde profani interpretes: hinc antiqui, inde recentiores: hinc Romani, inde Græci, Chaldæi, Ebræi, Arabes, innumeri alii in cenſum hunc videntur conferendi; quos ſingulos ſi quis appellari voluerit, déque iis ſententiam ferri,

Libyci velit æquoris idem
Diſcere quàm multæ zephyro turbentur arenæ.

Non omnia ergo, quod hominis foret otio abutentis ſuo, & fortaſſe inſanientis; ſed illuſtria quæque colligenda ſunt, eáque ipſa non copioſè tractanda, ſed ſtrictim delibanda ac perſtringenda. Ut autem ordinem teneamus, poſtremam hanc, quæ nobis profliganda ſupereſt, diſſertationis heſternæ partem, pro inſtituto noſtro, in certa membra

2. Diſſertationis partitio.

bra diſpeſcemus. Primùm itaque ſacræ Scripturæ dignitas poſtulat, ut de variis ipſius interpretationibus diſputemus; non eas dico, quas hac ætate ab unaquaque natione vernaculis linguis tanto videmus ſtudio procurari: nam quæ eſſet dicendi finis? ſed quæ vel prioribus comparatæ ſæculis, auctoritatem aliquam tractu temporis ſunt adeptæ, vel quæ Latinâ ſcriptæ linguâ in varias gentes diſſeminatæ ſunt. Hinc ad auctorum τῶν ἔξωθεν Arabicas, Ebraicas, Syriacas, & Græcas pergemus interpretationes; inde ad Latinas, quæ è linguis illis exoticis proflu-xerunt; iis exceptis, quæ ad Græca Latinè lucubratæ ſunt; qui locus quia latiſſimè patet, de eo ſeorſum memorabimus. Gallicas quoque interpretationes, ſi placet, appendicis vicem attingemus. His erit mihi de rebus poſtremâ hac parte perbreviter explicandum: quo peracto miſſionem, opinor, à vobis non difficulter impetrabo.

III. 1. De variis ſcripturæ Interpretationibus.

Quemadmodum ad omnes peræque nationes ſacrorum voluminum fructus pertinet atque utilitas, ita in omnes propemodùm linguas certatim ea fuêre converſa. Perpaucæ quidem conſtabant interpretationes, antequam humano generi ſalutem Chriſtus comparâſſet; qui poſtquam cœlo ſucceſſit, & *in omnem terram* Apoſtolorum *ſonus exivit*, ne barbaræ quidem, & toto penitùs orbe

orbe diviſæ gentes temperarunt, ſibi, quin Patris illius, qui in cœlo eſt, utrumque Teſtamentum, Vetus ſcilicet, & Novum, recens ſibi traditum, in patriam linguam transferrent. Audiendus planè ſuper eâ re Euſebius, gravis auctor & imprimis eruditus, qui in Oratione de laudibus Conſtantini Libros Sacros per univerſum orbem in omnes quarumlibet gentium linguas Interpretum opera tranſiiſſe declarat. Audiendus & Theodoretus: ἡμεῖς δὲ, inquit, τῶν ἀποστολικῶν καὶ προφητικῶν δογμάτων τὸ κράτος ἐναργῶς ἐπιδείκνυμεν. πᾶσα γὰρ ἡ ὑφήλιος τῶν δὲ τῶν λόγων ἀνάπλεως, καὶ ἡ ἑβραίων φωνὴ οὐ μόνον εἰς τὴν ἑλλήνων μετεβλήθη, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν ῥωμαίων, καὶ αἰγυπτίων, καὶ περσῶν, καὶ ἰνδῶν, καὶ ἀρμενίων, καὶ σκυθῶν, καὶ σαυροματῶν, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, εἰς πάσας τὰς γλώττας, αἷς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ. Nec iis verò interpretationibus poſt Theodoreti tempora piorum hominum & doctorum labor acquievit; complures ſiquidem ſacri operis interpretes ſingulæ deinde ætates extulerunt. Minimè vero ad hoc ſæculum, nec ad has certè oras eæ interpretationes pervenerunt univerſæ: paucas ſolummodò, eáſque ferè mutilas ab exteris gentibus hùc illatas, vel in his etiam tractibus vidimus typis impreſſas. De iis priore loco agendum eſt, & de Græcis quidem præ ceteris. Antiquiſſima omnium ea eſt, quam à Septuaginta Senibus, Ptolemæi Philadelphi oratu,

Theodor. Therap. Serm. 5.

Septuaginta. Senum,

oratu, Eleazaris verò Pontificis permiſſu, heri dixim us fuiſſe comparatam. Anno id contigit, ante Chriſti ortum, quarto ſuprà octogeſimum & ducenteſimum, hoc eſt Olympiadis centeſimæ vigeſimæ quartæ anno altero, ut eſt ratio Euſebii. Quanquam antiquior ea a nonnullis, ab aliis etiam recentior ſtatuitur, quod Chronologis relinquimus diſputandum. Nec ad hunc item pertinet locum à viris doctis tractata quæſtio, totumne Vetus Teſtamentũ, an Pentateuchum unicum Græco verterint viri illi Septuaginta; neque altera hæc aliáne etiam ante Philadelphi ætatem uſurpata fuerit Græca ſacræ Scripturæ interpretatio; quamvis enim extitiſſe aliquam non inanibus conjecturis ducti quidam tradiderint, ipſique adeo Clemens Alexandrinus & Euſebius Ariſtobuli Philoſophi Peripatetici auctoritate ducti conceptis id verbis ſcriptum reliquerint; qualis ea fuerit, incertum eſt: illam autem, quæ Senes Septuaginta auctores agnoſcit, accuratam fuiſſe, nec ſententiarum ſolùm, ſed verborum etiam retinentiſſimam, eruditè, Fronto, repugnante te, abundè, ni fallor, heſterno die demonſtravimus. Nec aliud quidquam cauſæ fuiſſe crediderim, cur ex eâ Editione, quaſi ex fonte, maxima interpretationum reliquarum pars traducta ſit; cur eam ſcriptis, & quotidiano uſu Evangeliſtarum, Apoſtolorùmque nonnulli conſecrarint, (id enim innumeris, adversùs Hierony-

Clem. Alex. 1. Strom. Euſeb. præp. Evang. lib. 13. cap. 12.

ronymum, teſtimoniis evinceremus, ſi ea res ageretur;) & cur eam denique Græcæ, & complures Orientis Eccleſiæ ad noſtram uſ-
3. Aquilæ, que ætatem retinuerint. Partes excipio quaſdam operis hujus, quas ab aliis interpretibus eſſe lucubratas, & a Septuaginta virorum fide deflectere deprehenſum eſt. Primus, poſt Chriſti mortem, ad novam Græcè procudendam Scripturæ interpretationem, Rempublicam regente Hadriano, animum adjecit Aquila Sinopites; quo nemo umquam majori caſtitate Ebraicam veritatem retulit, nemo fidem ſuam tam luculenter, verbis etiam
4. Theodotionis, ipſis annumerandis præſtitit. Imperium deinde tenente Commodo, vel, ſi alios audimus, aliquantò etiam prius, eundem in ſe ſuſcepit laborem Theodotion Epheſius: atque item ſub M. Aurelio, vel Commodo, tum deinde
5. Symmachi, Hierichuntinâ, Nicopolitanâ, aliâ Origenis Hexaplis intextâ, Pſalmos ſolum cōplexâ, virorum triginta, virorum ſex, Apollinarii, & Sophro- iterum ſub Severo Teſtamentum Vetus interpretatus eſt Symmachus in Ebionitarum gratiam, ad quos Samaritanorum grege relicto transfugerat, De his interpretationibus, atque item de Hierichuntina, anno Caracallæ ſeptimo, in doliis Hierichunte repertâ, & alterâ, Alexandro Mammeæ filio imperium adminiſtrante, Nicopoli inventâ, quarum utraque ab hominibus Judæis lucubrata eſt, quoniam jam antè diſſeruimus, plura à vobis haudquaquam deſiderari puto. Illud tamen Athanaſii, ſeu quiſquis auctor eſt Synopſeos

ſacra-

ſacrarum Scripturarum, prætermittere non nii; item
poſſum, quod virum doctum in errorem in- Libro-
duxiſſe video. Scripſerat magnus ille Eccleſiæ rum No-
magiſter, id quod ab aliis itidem traditum vi Teſta-
eſt, inventas eas interpretationes ἐν πίθοις, *in* menti
doliis: id ineptiſſimè reddidit homo cætero- aliquot.
quin eruditus, *Pythis*; gravi & multiplici lapſu, nam πίθοις legendum, non πύθοις: & πύθȣς locum aliquem eſſe finxit, qui nuſquam fuit; πύθια enim, & πύθῳ quid ſit, ſcio; πύθοι quid ſit, neſcio. Sed hæc obiter. Græcam præter ſuperiores ſex, *Euſeb. Hiſt. lib. 6. cap.* 16
interpretationem Pſalmorum Hexaplis ſuis intexuiſſe Origenem prodit Euſebius. Gemi- *Philoſtr. Hæ.* 138. 139.
nam præterea Bibliorum converſionem commemorat Philaſtrius; quarum alteram viri triginta Aquilam, ut pote Interpretum omnium fideliſſimum, proximè affectati dederint, alteram viri ſex; Græce utramque, ut ex verbis Philaſtrii poteſt intelligi, Novam quoque ex aliis omnibus editionem conflare auſus eſt Apollinarius Laodicenus; Symmacho tamen præ reliquis ſeſe preſſiùs adjungens. Neque Judæis probatum eſt hoc opus, neque Chriſtianis; quod ab Ebraica veritate recederet longius, & Septuaginta virorum Editioni raro conſentiret. Itaque ejus temeritatem non uno loco Hieronymus caſtigavit. Fertur item Sophronius, Hieronymi neceſſarius, excuſam ab eo ad Ebraicam veritatem, non Pſalterii, Prophetarúmque modo, ſed totius etiam

Teſtamenti veteris interpretationem Latinam Græcè repoſuiſſe, plurimúmque eo labore Græcorum pietatem ac ſtudia provexiſſe. Prior etiam Hieronymi editio, è Septuaginta Senum interpretatione derivata, è Latino Græcè iterum verſa, à Græcis ſtudiosè, ut ipſe refert, ſuſcepta eſt: at hæc vetuſtate abolita arbitrium noſtrum prætereunt. Hîc etiam commemorandi ſunt, qui Matthæi Evangelium; (Johannem Matthæi interpretem nonnulli, Jacobum alii fuiſſe volunt:) quíque Epiſtolam ad Ebræos, (cujus Græcam interpretationem Lucæ Evangeliſtæ aliqui, quidam Clementi Romano Pontifici adſcribunt,) Ebraicis verbis, literíſque compoſita, ſi modò Papiæ, Irenæo, Clementi Alexandrino, Origeni, Epiphanio, Euſebio, Hieronymo, aliíſque fides eſt; quíque Marci Evangelium, Latino primùm ſermone exaratum, ſi Syros audimus, Græcè expoſuerunt; quíque Evangelium Johannis & Apoſtolorum Acta de Græcis Ebraica fecerunt. Nos de iis ferre poſſemus ſententiam, ſi Ebræum hócce Evangelium, quod Indos ſibi a Bartholomæo Apoſtolo traditum ſervaſſe ſcribit ex Pantæno Euſebius, vel quod Hieronymi etiam temporibus extabat, cujus ipſe uſuram à Nazaræis Berœam habitantibus impetraverat, & Ebraicum Epiſtolæ ad Ebræos exemplar, & Latinum Marci Evangelium, & ea Johan-

Hieron. lib. 2. in Rufin.

Euſeb. libr. 5. Hiſt. cap. 10.

Johannis, & Actorum Ebraica exemplaria, quæ in Judæorum Gazophylaciis Tiberiade aſſervabantur, melior nobis fortuna ſervâſſet: nam quod à Munſtero, & quod poſtmodùm à Johanne Mercero converſum, à Tilio Briocenſi Epiſcopo editum eſt Ebraicum Matthæi Evangelium, à Judæis interpretata fuiſſe conſtat inter eruditos. Illud interim certum eſt, Latinæ hujuſce, quâ utimur, Vulgatæ Novi Teſtamenti Editionis ſingulas, non partes aliunde, quàm è Græcâ fuiſſe profectas. Scio doctiſſimis quibuſdam perſuaſum eſſe viris Evangelium Matthæi, & reliquos Novi Teſtamenti libros Græco primùm ſermone fuiſſe conditos, ipſámque apertè Papiæ, aliorùmque auctoritatem hac in parte ab iis repudiari, & rationum momentis, quibus ſententiam ſuam tuentur, poſthaberi: verùm hæc aliàs. Septuaginta Senum interpretationi nobilitate, & vetuſtate proximæ ſunt Chaldaicæ Paraphraſes, præ reliquis, quarum quidem notitiam conſequi potui: de quibus enim peritorum hominum, vel longo peregrinandi uſu edoctorum ſermone duntaxat ad nos perlatum eſt, ſuus erit dicendi locus. Chaldaicæ ergo univerſæ Paraphraſes, quæ voce communi Thargumim appellantur, quatuor omnino ab auctoribus videntur eſſe profectæ, Onkelo, Jonathane ben Uziel, Hieroſolymitano Paraphraſte, 6. De Chaldaicis Scripturæ Interpretationibus.

& Hagiographorum Interprete, eo qui Joſephus cæcus eſſe vulgò exiſtimatur. Qui Onkelon, & Jonathanem, aliquâ fortaſſe nominum ſimilitudine ducti, Aquilam, & Theodotionem fuiſſe volunt, bonam iis mentem precamur. Vixiſſe ſanè priores illos circà Hillelis ſenioris tempora, hoc eſt Hyrcano, & deinde Herode Magno regnante, conſtans eſt Rabbinorum fama: reluctantibus licèt nonnullis, quorum alii Onkelon ſororis Titi Imperatoris filium fuiſſe, & poſt ſecundi Templi devaſtationem paraphraſim ſcripſiſſe volunt; alii infra trecenteſimnm à Chriſto annum ejus ætatem rejiciunt; quidam etiam nullum eſſe ex interpretibus iſtis, qui non hac longe fuerit ætate recentior, conantur oſtendere; quod ut fateri de aliis, ita de Onkelo & Jonathane dubitare cogit nos ratio. Aquilam autem, & Theodotionem Hadriani, & Commodi ævo floruiſſe oſtendimus. Pentateuchum convertit Onkelos; Prophetas omnes Jonathan; uno excepto Daniele, (quem non inter Prophetas Judæi, ſed inter Hagiographa recenſere vulgò ſolent) & ipſam præterea Legem, ut viſum eſt nonnullis, quamvis hæc paraphraſis ad alium auctorem referenda ſit: ea eſt ſtili differentia. Neque verò deſunt, qui utrumque totum Vetus Teſtamentum in Chaldaicam tranſtuliſſe linguam arbitrentur. Circa Pentateuchi quoque expoſitionem

nem laboravit Hieroſolymitanus interpres, de cujus antiquitate quid ſtatuam, non habeo: dubia quippe res eſt, & à multis in utramque partem variè tractata. Hagiographa ſolùm παραφραστικῶς explicavit cœcus ille Joſephus, ſeu quiſquis ille eſt; de eo enim, ipſiúſque ætate *Rabbini certant*, *& adhuc ſub judice lis eſt.* Liquidè verò Joſephum eſſe negat Scaliger, cujus auctoritati ſumma omnia tribuo. Alii duplicem Hagiographorum paraphraſeos auctorem faciunt, quorum recentiſſimus ille ſit, & ipſo Thalmude poſterior, qui Thargum Megilloth, hoc eſt Cantici, Threnorum, Ruth, Eccleſiaſtæ, & Eſther compoſuerit: alter verò, quem Gamalieli etiam ſeniori coævum putat Scaliger, reliquam Hagiographorum partem paraphraſi declarâ-rit; Chronicorum libris, ut pote quorum interpretatio in illâ librorum Regum contineretur, tum & Eſdræ, ac Danielis, quippe qui Chaldaico ferè ſermone conſtarent, prætermiſſis. De Onkeli interpretatione ita ſtatuo, illam eſſe ejuſmodi, ut valdè preſſa & adſtricta paraphraſis, vel laxior paulò & liberior interpretatio dici poſſit. Unde id omni ratione conflatur, in quibuſcunque interpretationibus vel tantilla ſeſe proripit licentia, eas in paraphraſeon cenſum omnino eſſe referendas; ita ut caſtâ illâ cæteroquin & fidâ Onkeli interpretatione factum eſt: cujus utinam religionem

gionem ac fidem obtinerent depravatiſſimæ paraphraſes, quæ hac ætate ſeſe pro interpretationibus, iiſque accuratis venditant & obtrudunt. Laxè verò & intemperatè exſpatiati ſunt Jonathan, & Hieroſolymitanus interpres, nec paraphraſeon duntaxat, ſed diffuſorum vice commentariorum Explanationes eorum haberi poſſunt. In prioribus quidem Prophetis caſtiorem ſe præbuit & ſimpliciorem Jonathan; in poſterioribus verò, obſcuris nimirum & perplexis, diffuſum & lucis inferendæ gratiâ allegoriis inſerciendis liberiorem: ut non unius hominis opus eſſe creditum ſit. Varia eſt Joſephi ratio, nec eundem ubique tenorem ſervat; in aliis enim parcus eſt, & reſtrictus; in aliis, puta in Canticorum Cantico & Eccleſiaſte modum omnem loquacitate ſuâ exceſſit; ut meritò dubitatum ſit, eundémne & unum habeat auctorem Hagiographorum paraphraſis; id quod de Hieroſolymitanâ quoque interpretatione quæſitum eſt. Elegans eſt & nitidus Onkeli & Jonathanis Chaldaiſmus, & ad Eſdræ ac Danielis caſtitatem accedens; inquinatus & impurus Hieroſolymitani Paraphraſtæ, & Joſephi; quod & eorum novitatem ſatìs prodit. Paraphraſes præterea Chaldaicæ veteris Teſtamenti extiterunt longè plures, quædam etiam Novi de quibus diſputabunt alii, nos hæc inſtituti noſtri perſequendi ſtudio pingui, ut aiunt,

aiunt, & rudi Minervâ informabimus: non quot enim, quive fuerint interpretes, ſed cujuſmodi ſint interpretationes diſquirimus. Cæterùm Chaldaico ſermone Scripturæ partes aliquæ conſtant. Tobiam, & Judith è Chaldæo ſeſe tranſtuliſſe declarat Hieronymus; Eſdræ inſuper, & Danielis capita quædam Ebraicis quidem literis, ſed Chaldæo ſermone perſcripta hodiéque proſtant; quæ poſtrema Ebraicè reddidit R. Levi ben Gerſon, ſententiis, verbis, verborùmque ſitu, & omnibus denique interpretationis virtutibus tantâ fide ac curâ ſervatis, ut in eo planè videatur laudis genere laudandus, quod religioſum, fidum, & congruens nominamus. Recens ille eſt inter Judæorum Magiſtros, ejus autem interpretationis manuſcriptum exemplar penes me habeo. Onkeli paraphraſi pridem uſi ſunt Judæi τῆς διασπορᾶς τῆς Ἀσίας; cujus metropolis erat Babylon; quemadmodum Europææ diſperſionis caput erat Alexandria, quæ Septuaginta Interpretum editionem quotidianâ lectione conterebat; Judæi autem Metropoli Hieroſolymitanæ ſubjecti Hieroſolymitanum Paraphraſten ſequebantur. Neque deſunt, qui & Chaldaicam extitiſſe affirment Novi Teſtamenti interpretationem, unde Æthiopica profluxerit. Quarum rerum penes viros Æthiopicæ linguæ conſultos arbitrium eſto. Devenimus jam ad ſacrorum

7. Syriacis.

rum

rum librorum interpretationes Syriacas, antiquitate inſignes, & linguæ dignitate. Prima omnium ab Alberto Widmanſtadio, Ferdinandi Imperatoris Cancellario, Moſis Meredinæi ſacerdotis, è Meſopotamiâ uſque ad eam rem miſſi oratu, Novi Teſtamenti Syriaca converſio Patrum noſtrorum memoriâ edita eſt, earum Epiſtolarum parte, quæ Catholicæ appellantur, & Apocalypſi deminuta; quâ re magnum vetuſtatis argumentum continetur. Widmanſtadii tam præclarum in rem Chriſtianam & literariam beneficium incredibili doctorum hominum gratulatione ſuſceptum eſt: ipſa verò Syriaca editio Latinâ interpretatione à pleriſque, ſed ab eximio præſertim, & in ejus linguæ uſu & tractatione mirabiliter ſubacto viro Fabricio Bodeꝛriano illuſtrata, & luculento apparatu in Bibliis Regiis iterùm typis commiſſa eſt. Sola ea ad hanc uſque diem in vulgus prodiit; ſed longè ulteriùs, ſi quid auguror, noſtrorum hominum olim labor provehetur. Egregia porro fuit interpretis illius diligentia, adeò fides elucet in ſententiis, & verba verbis conſonant; ſi voculas ſolùm aliquas, provocabula puta, articulos, ejúſve generis minuta quædam eximas, in quibus retinendis parùm laboravit: nec eum tamen idcircò redarguere auſim, ſi uti ab ipſis etiam Syris vulgò jactatur, qui ſeſe à majoribus natu traditum accepiſſe dicunt,

Mar-

Marcus is eſt Evangeliſta; quod mihi haudquaquam videtur vero conſentaneum, cùm eam tamen vetuſtam eſſe interpretationem infitiari nolim. Atque utinam quæ in cudendâ, & toties recudendâ Novi Teſtamenti Syriacâ converſione adhibita eſt cura, eandem ſtudioſus aliquis ſuſcipiat in evulgandâ illâ Antiqui totius vetuſtiſſimâ interpretatione, quam Simplicem dicunt, quæque in eruditorum quorundam hominum penetralibus repoſita eſt. Sic enim ad me perlatum eſt, Ebraicis illam, unde derivata eſt, preſsè inſiſtere; & propter utriuſque linguæ affinitatem Ebraici ſermonis indolem & colorem apertè in Syriacis comparere; & de rebus ſollicitum interpretem, fucum verborum neglexiſſe; ac omnes propemodum Scripturæ interpretationes fide & caſtitate tanto intervallo ab hac unà ſuperari, ut in univerſis Eccleſis, quæ toto Oriente proſeminatæ ſunt, publicè fere ſemper decantata fuerit, & recitata; quamvis autem non Ebræa ſolùm, ſed Septuaginta Senes nonnumquam, alias aliquando editiones ſequatur interpres, in eo fidem ipſius minimè accuſandam, propterea quòd eorum quidem quæ ſibi vertenda eſſent delectum habuerit, ſemel verò ſelecta eximiâ fide retulerit. Etſi non parem ubique ſervat tenorem, & in Paralipomenon ac Proverbiorum libris ſibi impar, ſuique diſſimilis eſt. Quid quòd tantum

ei

ei quidam antiquitatis tribuunt, ut Hirami oratu, qui Tyri regnum tenuit, maximam ipſius à Solomone confectam partem arbitrentur; reliquam verò, Novúmque ipſum Fœdus ab Apoſtolis, Thaddæoque imprimis, regnante apud Edeſſenos Agbaro, eo de quo tam multa fabulatur Euſebius? Quam opinionem, & alteram illam, quæ Moſi bar Cepha interpretationem hanc acceptam refert, facili negotio convelleremus, ſi ea res ageretur. Sunt qui Aſiam quendam Sacerdotem, ab Aſſyriorum Rege in Samaritanorum gratiam miſſum auctorem ferunt. Equidem ab omni me aſſenſu ſuſtineo, ſpiſſa enim res videtur & obſcura, mihi præſertim, ad quem ea numquam interpretatio pervenit: tutiorem tamen eam, & doctorum hominum puncto comprobatam ſententiam eſſe video, quæ non Chriſto ſolùm, ſed ipſo etiam Hadriano recentiorem eſſe editionem hanc ſtatuit. Imo vero, ſi tot Veteri Teſtamento inſunt, quot ineſſe feruntur ſequioris ævi Græca vocabula, tot vero novitiæ Latinitatis dictiones inſunt Novo, non ita multis ab hinc ſæculis concinnatam eſſe plane fatendum ſit. Longè puriſſima eſt Novi, & ipſius etiam, ut fertur, Antiqui Teſtamenti Syriaca dialectus, cùm ex una Syriaſmi radice corruptiſſimi plerique rami exorti ſint. Aliam præterea apud Syros Veteris, & Novi Teſtamenti interpretatio-

Euſeb. Hiſt. lib. 1. cap. 13.

tationem, è Græco prolatam, Figuratam vulgó dictam, uſurpari ſcio: ſed eam ut recentiorem ætate, ita & auctoritate longe inferiorem. Non paucos ex eâ interpretatione Scripturæ ſanctæ libros habere ſe ſcripſit Andreas Maſius anno ab Alexandro Magno ſupra novies centeſimum viceſimo ſeptimo Syriacè, ad verbum Alexandriæ converſos, è Græco codice, quem Euſebius, Pamphili operâ adjutus, emendaverat ad Origenis libros, qui in Cæſarienſis Eccleſiæ Bibliothecâ aſſervabantur. Fertur & Maraba quidam Veteris Teſtamenti interpretationem Syriacam ad Græce expreſſam dediſſe: de qua, ut pote mihi prorſus ignota, nihil habeo quod apud vos diſſeram. Alias deinceps commemorare poſſem Novi Teſtamenti interpretationes Syriacas. Extat Apocalypſis hoc expoſita ſermone, eamque in ſuo librorum exoticorum penu reconditam ſervat Scaliger. Extant & Epiſtolæ Catholicæ Syriacè converſæ. Hæ Novi Teſtamenti partes quod in antiquiſſimis illis, quos dixi, Codicibus deſiderantur, eo ſatis proditur interpretationis illarum novitas: non antè enim videntur elaboratæ, quàm in Canonícorum librorum cenſum Apocalypſis, eæque Epiſtolæ ab universâ Eccleſiâ receptæ ſint; quod ſub Liberio Papâ, in Laodiceno Concilio, hoc eſt, circa annum à nato Chriſto CCCLXIV.

Andr. Maſ. Epiſt. & Praf. ad Ioſ.

Catholicis Epiſtolis; & in Carthaginenſi tertio, anno CCCCXXVIII. circa Siricii tempora celebrato, Apocalypſi primùm videtur contigiſſe. Quin & Syriacam quatuor Evangeliorum interpretationem, Græcis κατὰ πόδα inſiſtentem, non tamen valde antiquam, alicubi extare accepi. Illud verò minimè prætermittendum eſt, quod ad ejus linguæ commendationem pertinet, non ejus ſolùm in libro Job apparere veſtigia, ſed Eccleſiaſticum etiam, & priorem Machabæorum librum, necnon Evangelium Matthæi, & Pauli ad Ebræos Epiſtolam, Syriacè fuiſſe conſcripta. De Libro Job inſignis eſt Hieronymi teſtificatio, imò Syriacè primùm conſcriptum fuiſſe optimi Seniorum Septuaginta codices in fine libri hujus præferunt, ipſáque ejuſdem Arabica interpretatio; quod & agnoſcit Hieronymus, in Ebræis licet voluminibus nuſquam reperiri dicat: è Syro autem Ebræus demum à Moſe factus eſt, dum in Ægypto degeret, ſolandæ Iſraëlitarum calamitatis causâ: ſi modò commentarii in Job, ſub Origenis nomine editi, auctorem audimus: cui ſane fidem in eo haberi nolim. At idem in Præfatione ad Salomonis libros Hieronymus, Eccleſiaſticum Ebraicè, hoc eſt, Syriacè, ut auctor eſt Bellarminus, Fronto, veſter, exaratum reperiſſe ſe profitetur. Id quoque de Machabæorum primo, in Galeato Prologo, ſcrip-

Hieron. Præfat. in Job.

Bellarm. de Verb. Dei, lib. 2. cap. 4.

ſcriptum reliquit, quod itidem accipiendum eſt; quâ ſiquidem tempeſtate liber ille lucubratus eſt, exoleverat Ebraica illa Vetus, Syriaca paſſim obtinebat. Non autem ipſe ſolùm Hieronymus, ſed è Patribus plerique idem de Matthæi Evangelio, & Epiſtolâ ad Ebræos prodiderunt. Quanquam, ut dixi, re cautiùs expenſâ, aliter recentioribus nonnullis viſum eſt; rectène, an ſecus aliàs fortaſſe diſquiremus, ſuum enim ſibi poſtulat locum hæcce diſputatio. Quòd ſi ita eſt autem, ut exiſtimavit Hieronymus; an ea, uti ſcripta erant, exhibuerit, qui reliquas Novi Teſtamenti partes Syriacè convertit; an è Græco novam interpretationem accuraverit, eo etiam incertius eſt. Dixi de Syriacis interpretationibus, proximum eſt ut ad Arabicas veniamus. Percelebris ea eſt imprimis, quam ineunte decimo à natalibus Chriſti ſæculo lucubravit Saadias Gaon: quamvis autem totam ſacrorum voluminum ſeriem complexa ſit; unus tamen adhuc Pentateuchus in publicam exiit lucem, ſtudio & operâ Judæorum, qui eum ante annos quinquaginta typographicâ arte Conſtantinopoli publicarunt. Aliam Pentateuchi interpretationem Arabicam, charactere Ebræo exaratam habere ſe ſcripſit ad me quondam eruditorum ille princeps Joſephus Scaliger. In Mauritaniâ hæc Judæis jam olim in uſu fuit: id quod ad me quoque ab Uberto Medico,

Hieron. Libr. de Script. Eccleſ.

8. Arabicis.

viro vobis non ignoto, relatum eſt; qui quum in hac ſcholâ, Regis juſſu, Arabicam linguam per aliquod tempus fuiſſet profeſſus, nec ullum ei minerval penderetur, & ſcholæ, & Urbi valedicere inopiâ coactus eſt. Magnam ſanè ſtudiis meis Arabicis calamitatem intulit ea diſceſſio: quam enim in ipsâ Africâ linguæ hujus notitiam, & proprio deinde Marte comparaverat, eam ipſe mihi impertiebat liberaliter, & diuturnam Arabiſmi ſitim, quæ me tot jam annos angit, aſſidua ipſius conſuetudo utcunque reſtinguebat. Sed nunc, quod agimus. Ab Ebraicíſne, an à Septuaginta, an ab Onkelo traducta ſit Saadiæ interpretatio, dubitarunt nonnulli: ea eſt hominis in convertendo licentia & levitas, paſſim ſiquidem divagatur, & ultra cancellos excurrit, ut paraphraſten facilè, non interpretem poſſis agnoſcere. Imo, nec unum ſemper idemque, quod ſequeretur, ſibi exemplar propoſuit. Ebraica enim ſæpe, at nonnumquam etiam Septuaginta viros; vel ex his certe aut Ebraicis expreſſas interpretationes affectantem deprehendi. Diverſæ quoque, & aliquibus locis diſcrepantes Saadiæ editiones circumferuntur, ut interpolatum fuiſſe hoc opus vix dubitare liceat. Parum caſtigata ad hæc ſcribendi ratio. Horridior etiam atque incultior; at preſſior quoque, ex Onkeli licet Paraphraſi profecta, & accuratior; eoque nomine pluris facienda altera hæc,

quam

quam penes Scaligerum eſſe dixi, Afris uſurpata, & ab Afro homine concinnata interpretatio. Duas præterea Scripturæ totius interpretationes Arabicas reperiri audio, quarum altera ad Syriacum exemplar; ad Septuaginta viros, vel ad derivatam a Septuaginta viris converſionem altera conformata ſit. Audio & Johannem quemdam, Hiſpalenſem Epiſcopum, Libros ſacros omnes in Maurorum, Arabumque gratiam, qui tum in Hiſpania erant, Arabica loquela donaſſe. De his quum nihil mihi præter famam perceptum ſit, non habeo quod pluribus apud vos diſſeram. Plurimæ ad hæc in bibliothecis aliquarum Scripturæ partium interpretationes Arabicæ deliteſcunt: quarum nonnullas ſumma ſibi diligentia Scaliger comparavit. Verum quoniam vix quicquam de iis præter auditum habeo, ſummatim tantum, & perfunctorie diſputabo. Maxima earum pars è Græcâ Septuaginta Seniorum exiſtimatur eſſe profecta, & ſpiſſiſſimis ſcatet erroribus, quæ temporum illorum, quibus elaboratæ creduntur, erat inſcitia. Vetus illa Pſalterii Arabicè tranſlati, ab Auguſtino Juſtiniano Nebienſi Epiſcopo, in exoticis linguis, ut ætate illa, non indiligenter verſato, in luculentiſſimo Octaplorum opere procurata editio Græcis Septuaginta Senum mirificè reſpondet. Evangeliorum quoque interpretatio Arabica Romæ edita eſt; erudita

quidem illa, ad Græci archetypi normam fabrefacta, at non perinde accurata. Quam vero Chaldaicam quatuor Evangeliorum interpretationem Arabice reddidit Pharaon Judæus, de ea quid exiſtimandum ſit, ab Hiſpanis, penes quos eſſe dicitur, quærendum eſt. Quærendum & a Samaritis, quid de Arabicis, quas procuderunt, Samaritici ſui Pentateuchi interpretationibus nos arbitrari conveniat. Fertur nono poſt Chriſtum natum ſeculo Pentateuchum ex Chaldaico ſermone in Arabicum tranſtuliſſe Harith Ibn Cinem. Quem in interpretando morem, modumque tenuerit, ab iis itidem qui librum viderint, cognoſcetis. Sequuntur Scripturæ
9. Æthiopicis, interpretationes Æthiopicæ, ad quas quum propter linguæ hujus ignorationem omnis mihi aditus obſtructus ſit, ea ſolùm diſſeram apud vos, quæ de illis auditione cognovi. Quod primum Æthiopicæ Bibliorum interpretationis ſpecimen in lucem venit, Pſalterium illud fuit, Romæ cum Cantico Canticorum, aliiſque nonnullis centum abhinc propemodùm annis editum. Petrus deinde Æthiops Novum Teſtamentum eâdem deſcriptum linguâ excudi curavit. Hæc omnino, quantum inquirendo didici, adhuc edita ſunt; quanquam univerſa in Æthiopicum transfuſa ſermonem Scriptura eſſe fertur. Quod ſi totum ex parte ſpectare licet, interpretationem

nem ſuam excudiſſe videntur Æthiopes ad exemplar Septuaginta Senum, & Græcam Novi Teſtamenti editionem; vel ad expreſſam certe ex Græcis illis interpretationem Coptorum, a quibus & ritus pleroſque ſuos Æthiopes habuerunt. Peſſima fide elaboratum eſſe hoc opus affirmat Scaliger: quanquam alii non multùm ab eâ, quam in interpretandis Scripturis deſideramus, deligentiâ hoc abeſſe dicunt; in nonnullis tamen aliqua largitum fuiſſe de ſuo interpretem, omnia verò, ut captus eſt Æthiopum, ſummâ imperitiâ eſſe adminiſtrata. De ipſius antiquitate magna ineſt inter doctos controverſia; id enim ab Apoſtolorum uſque temporibus repetunt quidam; longe recentius alii contendunt. Ac Novum iidem a Petro Æthiope editum Teſtamentum, tribus abhinc circiter ſeculis, juxta nonnullorum conjecturam; vel multo etiam prius, ſi alios audimus, interpretatione donatum eſt. Quas inter ſententias ego rerum earum plane rudis dijudicare nolim: & ſi non valde antiqua hæc eſſe ſuſpicor. Scriptum eſt a Sabellico, & a Jovio, ex Chaldaica lingua proveniſſe Æthiopicam utriuſque Teſtamenti interpretationem. Scio equidem nonnullas Chaldæorum colonias tranſiiſſe in Æthiopiam, & Chaldaicam linguam a doctioribus gentis hujus viris excoli diligenter. Quamobrem hoc ſi factum eſſe demus, quod

Scalig. libr. 7. De emend. temp.

Sabellic. Supplem. Hiſt. libr. 8.

Paul. Jov. Hiſt. libr. 18.

nullo argumento negari poteſt, diverſam a priore interpretationem hanc eſſe dicendum
10. Perſicis, eſt. Verum hæc conjectando, non affirmando a me propoſita ſunto. Neque verò plura à me de Perſicis dicturo expectetis, nulla quippe linguæ illius ad me notitia pervenit: id ſcio, Pentateuchum Perſico ſermone retuliſſe Jacobum Tawaſium Judæum; Conſtantinopoli verò cum Ebræo exemplari, Onkelo, & Saadiâ Judæos typis excudiſſe; archetypi Ebræi veſtigia ſatis fideliter interpretem illum exequi; in nonnullis tamen, atque iis ferè obſcuris, lucis puto inferendæ causâ, peregrina aſciſcere; pauca tamen ad perfectæ interpretationis laudem ſupereſſe. Evangeliorum quoque Perſicæ quædam habentur interpretationes, quarum una præ cæteris celebratur: antiquam eam eſſe ferunt, contradicentibus nonnullis, ad Syriaca exactam, ſed ſine lege & παραφραστικῶς extra metas exſpatiantem. An autem ſingulæ ſacri Voluminis partes Perſico ſermone relatæ ſint, quod quidam perſuaſerunt ſibi, incertum plane eſt. Nunc verò agamus de Latinis antiquis, & recentioribus, quarum perpaucæ illæ numero ſunt, hæ verò longè plurimæ: mihi quidem non enucleanda ſingula, ſed præcipua modò, idque curſim attingenda ſunt. Innumeras olim Scripturæ interpretationes è Græco Latinè deſcriptas extitiſſe conqueſti ſunt Hieronymus & Augu-

Hieron. Præfat. in

ſtinus,

ſtinus, uti ſuperiore diſputatione à nobis fuit *Joſ. & in*
demonſtratum. Varias quidem, ac planè di- *Evang.*
verſas editiones ſecutos Tertullianum, Cy- *Auguſt. lib. 2. de*
prianum, Ambroſium, Latinóſque Patres *Doct. Chriſti. c.*
deprehendetis, ſi rem explorare tanti vobis eſt. *11.*
Verùm ut repentino illæ ortu enatæ fuerant,
ita poſt vitam non diuturnam ſubito occaſu
evanuerunt. Sola ea annorum ſeriem pertulit,
quæ Itala, ſeu Communis vocitata eſt, & 11. Italâ,
ad noſtram uſque ætatem integra perveniſſet, & Vulga-
niſi è Græco vel effictâ novâ, vel veteri emen- tâ,
datâ; & ad puriorem illam Septuaginta edi-
tionem, quæ in Origenis Hexaplis habebatur,
caſtigatâ, & alterâ etiam feliciùs deinde ex
Ebræo expreſſa interpretatione, veteri huic
æmulam objeciſſet primò Hieronymus, vir
multiplici doctrinâ, linguarùmque notitiâ
nulli Patrum poſthabendus; poſthabendus
autem? imò verò, omnibus etiam anteponen-
dus. Poſtremæ huic deinde adjunctis Italæ
partibus quibuſdam, & in unum veluti cor-
pus compacta utraque, effloruit Vulgata illa,
quæ nunc omnium verſatur manibus, quam-
que perpetuus tot ſæculorum & conſtans uſus
ad nos transmiſit. Hujus Pſalterium ex anti-
quâ illâ Italicâ depromtum eſt, & ab Hiero-
nymo emaculatum. Quod cum Romana
Eccleſia quotidiano celebraret uſu, alteri ejuſ-
dem Pſalterio, ex Ebraicis propagato, quod
in illius operibus extat, locum ſuum non con-

ceſſit, ita ut in aliis Scripturæ ſacræ libris factum eſt: quia nempe veteri iſti, certis conſtricto numeris, modulando aſſuetæ Chriſtianorum aures, univerſæque adeò Eccleſiæ, alterius novitatem ferre numquam potuerunt. Indidem quoque Novum Vulgatæ Teſtamentum exceptum eſt, ſed levi aliquâ emendatione ad Græcam veritatem in Evangeliis ab Hieronymo, in Epiſtolis ab aliquo Hieronymi exemplum affectante, vel ab ipſo forſitan Hieronymo reformatum. Ac libros item Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & Machabæorum; tum Eſther, & Danielis partes quaſdam, & Eſdræ demum tertium librum & quartum, ab Hieronymo neutiquam fuiſſe interpretatos, vel inde perſpicuum eſt, quod nullam iis præfationem præfixerit, itidem ut aliis omnibus a ſe converſis feciſſe ſe auctor eſt. Sed neque ex Itala interpretatione, ſed ex alia vetuſta aliqua deductos eſſe facile ex eo colligitur, quod hanc in teſtimonium adhibuerunt Africani Tertullianus & Cyprianus; & quæ in Ambroſii libris exhibetur Eccleſiaſtici, & earumdem Danielis partium editio, quámque Italam ipſam eſſe credibile eſt, ab eorumdem librorum Vulgata Editione non leviter diſſentit. Si quis autem exiſtimaverit unius eſſe ejuſdemque interpretis partes illas Vulgatæ, quæ Hieronymi non ſunt, errorem filum orationis varium, & diverſa

textura

textura patefaciet. Italam illam totam ex Latinorum Patrum ſcriptis maximo labore collectam conſarcinare & renovare ſtuduit Flaminius Nobilius Lucenſis : unde ſacrorum voluminum purè, preſsè, religiosè interpretandorum quivis documentum capere poſſit. Verumtamen cùm pannos illos é Patribus undique corraſerit Nobilius; at non Italam unam, ſed complures alias Latinas, paſſim, ut diximus, tunc temporis emergentes, & omnium uſui permiſſas promiſcuè Patres uſurparent; imò pro captu ſuo loca ex tempore ſæpe converterent, vel ab aliis converſa memoriter recitarent; cúmque è ſeptuaginta Senum editione κοινῇ profecta ſit Italica; Sixtinæ autem, quam puram illam eſſe, Hexaplis intextam eruditi propugnant, Nobiliana conſentiat; certiſſimum eſt non faciliùs in Nobilianâ Italam, quàm aliam quamlibet reperiri poſſe. Quòd ſi conjecturæ tamen locus eſt, quam in operibus ſuis illuſtratam commentariis deſcripſit Ambroſius, hanc Italam ipſam interpretationem eſſe affirmaverim. Ecquamnam enim libris ſuis inſcruiſſe Italum Epiſcopum veriſimiliùs putem, quàm quæ in Italicis exorta regionibus, apud Italos homines, & in Italiæ Eccleſiis ſupra reliquas omnes potiſſimùm celebrabatur? Quod autem Pſalterium exhibuit, nònne ipſum illud Vulgatæ Pſalterium eſt, ex Italâ deſumtum?

Lucæ

Lucæ præterea Evangelium nónne iiſdem repetit verbis, quibus in Vulgatâ conceptum, ex Italâ veteri deductum eſt, exceptis duntaxat iis, quæ ab Hieronymo correcta ſunt: ex Itala itidem depromta cenſuerim teſtimonia hæc, quæ lucubrationibus ſuis inſeruit Rufinus Aquileienſis Presbyter, quem eâ uſum Scripturæ expoſitione credibile eſt, quæ in ejus patriâ vulgo circumferebatur; nedum Hieronymianâ, quam vel nondum evulgatam eſſe acceperat, vel propter Auctoris odium repudiaverat. Utraque porro (Italam dico & Hieronymianam) nullo dignitatis diſcrimine deinde uſurpata eſt, & ex utraque teſtimonia ſumere ſe declarat Gregorius Magnus, quod ambabus Romana uteretur Eccleſia. De Vulgatâ quid ſentiam, & ab aliis judicari velim, & jam ſuprâ ſatis dixi, & plura poſt conſpirantem Patrum & Eccleſiæ conſenſum dicere, ineptire eſt. At illud à me penè fuerat prætermiſſum, quod diligentem quoque videtur commemorationem poſtulare: Tobiæ & Judith libros, priúſque Machabæorum volumen, Ebraico primùm, hoc eſt, Chaldaico, & Syriaco ſermone conflata fuiſſe Origenes, & Hieronymus prodidêre; inde Græca, quam terimus, interpretatio, & Vulgata Latina ortæ ſunt: utramque verò ſi invicem contuleris, tanta apparebit diſſenſio, ut vel è diverſis eas profluxiſſe exemplaribus,

Gregor. M. Præfat. Moral. & libr. 20. cap. 23. Moral.

12. Ebraicâ, Græcâ, & Latinâ librorum Scripturæ aliquot,

Orig Epiſt. ad Afric. Hieron ad Chron. & Heliod.

qua-

qualia multa ſuâ fuiſſe ætate ſcribit Hierony- *Hieron. Præf. in Judith.*
mus; vel ſummâ alterutram libertate fuiſſe accuratam fateare. Quin & ipſa à Judæis Ebraicè poſtmodùm conficta Tobiæ interpretatio, quam à ſe diſcrepantem ediderunt Munſterus, & Fagius & cujus exemplar manu deſcriptum, ad Munſteri editionem propiùs accedens apud me eſt, à prioribus illis ita diſcedit, ut aliunde derivatam eſſe non ineptè conjici poſſit. A Græcâ tamen, quám ab Hieronymi Latinâ longè propiùs abeſt, ab eâque deſcendiſſe vere Scaliger meus exiſtimabat. Ebraica quoque Matthæi duplex extat converſio, quarum prior Sebaſtiani primùm Munſteri, atque iterùm Johannis. Quinquarborei operâ in lucem venit; altera à Johanne Mercero Latinè explanata, Johannis demum Tilii beneficio publicata eſt. utraque à Judæis è Latinâ interpretatione converſa eſt. Jam verò aliquibúſne locis cauſæ ſuæ faventes illi veritatem imminuerint, ſenſúſque mendaciis vitiarint, non quæro: unum id perſpicuum eſt, ſummam cæteroquin in iis ſententiarum, verborúmque curam ſplendeſcere: quanquam incomtior eſt prior illa Munſteri, & aliquando etiam, ubi lacer deficeret Codex, ab illo reſarta & expleta; cultior altera Tilii, & nitidior, ſed levi tamen & exiguo inter eas diſcrimine; utraque vero deformata erroribus, & interpretum imperitiam prodens. Huic

Evan-

Evangelio Epiſtolam Pauli ad Ebræos, Ebraicè itidem è Latino, niſi me animus fallit, redditam, nec minori quàm Evangelium ipſum religione & diligentiâ interpretatam Munſterus conjunxit. Quas verò à Joſepho Ben Gorion, è Danielis & Eſtheræ reliquiis & utroque Machabæorum libro traductas hiſtorias edidit, omnino ex interpretationum cenſu expunximus; nullâ quippe ſervata lege & ordine, totis inſertis capitibus, totis detractis, non tam interpretem, quàm imitatorem ſeſe geſſit Gorionides ille. Quòd ſi Ebraicum illud Jeſu Sirachidæ archetypum, unde Græca, qua fruimur, prodiit Eccleſiaſtici converſio nobis temporum diuturnitas ſervaſſet, nobile ſcilicet & luculentum interpretationis inſtar haberemus; at pari, quo ſuperiora illa, caſu intercidit. Cæterum probabile eſt, non Interpretis nimiam licentiam, ſed exemplarium potius Græcorum varietatem cauſſæ fuiſſe, cur Latinæ illius interpretationis, quam habemus, tanta eſſet ab archetypo diſcrepantia, quantam ex utriuſque contentione deprehendimus. Scriptum Ebraice Librum hunc vidiſſe ſe narrat Hieronymus: verum è Græcis Ebraica iſthæc, non ex his Græca eſſe expreſſa; neque ipſum Jeſu Sirachidæ exemplar hoc fuiſſe ſciatis. E Græcis quoque, vel fortaſſe è Latinis tranſlata eſt a Judæis recentioribus Ebraica Libri ejuſdem deſcriptio, quæ alicubi

Prolog. Eccleſ.

Hier. Præf. in libr. Salom.

bi

bi extare fertur. Falli porrò certiſſimum eſt qui libros illos, quos in Ebræorum licèt Canonem non admiſſos, Alexandrini tamen Judæi, ipſáque adeò Chriſti Eccleſia recepit, à Theodotione Græcè fuiſſe expoſitos arbitrantur. Nunc autem ad recentiores Bibliorum interpretes ire pergamus. Quod antequam facere ingrediar, id vos præmonitos eſſe velim, quæcumque à me in novarum Scripturæ interpretationum laudem, reprehenſionémve dicenda ſunt, ab omni, circa tritas de religione controverſias, ſtudio fore ſepoſita, & quotieſcunque interpretis commendabo fidem, eam me ſpectaturum, quam auctori ſuo interpres, non quam Deo Chriſtianus homo præſtare debet. Primus poſtremis híſce temporibus nomen ſuum duplici ſacrorum librorum interpretatione, alterâ ex Ebræis, è Chaldæis alterâ celebravit Auguſtinus ille Juſtinianus, de quo mentio modò à nobis injecta eſt: verba verbis totidem, iíſque ſelectis nec impuris in utrâque retulit, fidémque ſuam ac diligentiam doctis omnibus approbavit. Id adeò ex Pſalterio ejus πολυγλώττῳ, quod unum ex immenſo hoc opere, typographico labore excuſum eſt, ſtatuere licet. Id ſi indocta illa ætas majori favore excepiſſet, & nobiles eruditi hominis labores adjumento aliquo & opibus promoviſſet, univerſam Scripturam ſimili ornatu decoratam, & pari inter-

13. Auguſtini Juſtiniani.

interpretationum numero ab eo ditatam haberemus. Hujus ætati conjunctus eſt Sebaſtianus Munſterus, Bibliorum interpres ſanè doctus, in Ebraica ſemper ſtylum collineans, ad eáque nunquam non ſe componens; nec ideò tamen Latini coloris negligens, in ejus quamvis linguæ elegantiis parùm ſe torſerit. Quòd ſi quando obſcuris explanandis, unam, alterámve dictionem è proprio penu adjecit, certis illam notis homo religioſus inſignivit: quò adulterinis lector germana ſeponeret. Leonis Decimi Pontificis Maximi hortatu & ope idem feliciſſimo ſucceſſu tentavit Santes Pagninus Lucenſis: Ebraicæ quidem veritatis ubique ad verbum retinens, majorémque ejus quam Latinitatis rationem habens; perfectæ propemodùm, & abſolutæ ſanctorum voluminum interpretationis exemplum dedit. Attamen ut punctum omne ferre difficile eſt, quidam in eo nimiam diligentiam, ambitionem, ac curam; tum moroſam minutarum quarumque rerum ac levium affectationem, inconcinnitatem etiam, & obſcuritatem culparunt; reclamantibus licèt Rabbinorum peritiſſimis, quibus ſummopere probatur interpretatio hæc, ac reliquis anteponitur. Quò magis etiam Ariæ Montani apud nonnullos offendit emendatio, ut quæ Pagnini rudem interpretationem, neque valde cultam, novâ etiam barbariei & ſqualloris acceſſione

14. Sebaſtiani Munſteri,

15. Santis Pagnini,

Digitized by Google

ſione contaminârit; ſed unicâ fidiſſimi interpretis, & Ebraicæ linguæ tironibus perutilis laude contentus, imperitorum ſpernit convitia. Santem in eo munere excepit Iſidorus Clarius Brixianus, Epiſcopus Fulginas, non tam novæ auctor editionis, quàm veteris, uti in operis ſui fronte prænuntiat ipſe, emendator & corrector: cujus tituli modeſtiam & veritatem, alioqui laudabilem, immeritò caſtigat Melchior Canus. Hoc autem nomine non magis inter Scripturæ Sacræ interpretes, quàm Conradus Pellicanus, Lucas Oſiander, aliíque, videtur eſſe referendus. Quid de Leonis Judæ editione pronuntiem, incertum me faciunt varia de eâ hominum judicia: hinc enim eam quaſi impuram, indoctam, fabulis, farraginibúſque conſutam proſcindit Genebrardus; & ejus antea nomine à Pariſienſis hujus ſcholæ Theologis arceſſitus, ſolùm vertere coactus fuerat Robertus Stephanus: inde verò Hiſpanorum Theologorum tulit ſuffragia, ab iíſque Lugduni & Salmanticæ recuſa eſt. Cujus rei memoriam quoniam in præclaro hiſtoriarum noſtri temporis libro complexus es, Thuane, quæ de his à te conſignata ſunt, non ægrè, puto, hîc retexes. THV. Illa quidem à me non uno loco ſcripta ſunt, recolligam tamen, & nihil tibi poſtulanti recuſabo, quo faciliùs, quæ petimus, largiare. Novam Bibliorum converſionem

16. Iſidori Clarii,

Tiguri inchoaverat Leo Judæ, cujus abſolutionem quum repentina viri mors peremiſſet, affecto operi collegæ, quorum fidei à moriente Leone fuerat religiosè commiſſum, ultimam manum impoſuerunt; Theodorus nempe Bibliander, Conradi Pellicani & Petri Cholini operâ adjutus. Anno primùm MDXLIII Tiguri publici juris facta eſt hæc interpretatio. Eam verò biennio pòſt edidit Robertus Stephanus, additis ſuis ſub Franciſci Vatabli nomine annotationibus. Quamvis autem celato auctore hanc interpretationem ſparſiſſet Robertus, rem tamen ſubodorati Theologi Pariſienſes acriter ipſum exagitare non deſierunt, donec perpetuæ conflictationis pertæſus Genevam conceſſit. Cæterùm mitiùs in interpretationem hanc ſe geſſerunt Hiſpani Theologi, eámque recognitam non ſemel ediderunt, FR. Mihi verò Roberti Stephani numquam probatum eſt facinus, quum hanc Tigurinorum editionem, ſuppreſſo Leonis Judæ, aliorúmque nomine, ad Vulgatam adjecit, & annotationes ſuas novæ doctrinæ, paſſim jam in Galliis inoleſcentis, ſeminibus conſperſas in lucem dare cogitans, inſidioſo eas Prælectionum Vatabli titulo apud incautos venditavit: quúmque aliquot poſt annis novam molitus editionem, Santis Pagnini interpretationem, ex auctoris αὐτοχείρῳ, & Vatabli Prælectionibus, ut ipſe

ait,

ait, emendatam; ut ego judico, ad arbitrium ſuum interpolatam cum Vulgatâ publicavit. Non tam ergo Tigurinorum editionem Pariſienſes Theologi, quàm Stephani fraudem culparunt. Quamvis autem harum editionum neutra, neque iis adtextæ annotationes Vatablum auctorem habeant, utraque tamen, quod mirere, Vatabli nomen hodie præ ſe fert, & recepto apud omnes uſu Biblia Vatabli ambæ appellari conſueverunt. Tu nunc, Caſaubone, quo loco à nobis Leonis Judæ interpretatio habenda ſit; uti incepiſti, docere perge. CAS. Conſtans ea ferè eſt doctorum hominum ſententia, recentioribus illam, cùm fide & doctrinâ, tum perſpicuitate antecellere; cui ſanè, ſi Santinam ſepoſueris, refragari religio eſt: elegantiæ tamen ac perſpicuitatis ſtudium detraxiſſe nonnulla fatentur de indole, deque verborum fide & ſitu, qui ut ex ipſo Hieronymo ſanximus, myſterium eſt; & venerandam illam dictionis ſimplicitatem aſcititio lepore, ſic tanquam nativum venuſtæ formæ decus illito fuco, fuiſſe ſublatam: ut non converſionem, at paraphraſim Salmanticenſes appellandam illam cenſuerint. Parem etiam Tigurini Græcis Veteris Teſtamenti libris curam impenderunt, quorum convertendorum negotium in ſe receperat is, de quo dixiſti, Thuane, Petrus Cholinus Tugienſis; cujus operis editio quo die per typogra-

phum abſoluta eſt, eodem hoc fatis ille conceſſit. Quid verò de intemperantiſſimâ Sebaſtiani Caſtalionis interpretatione ſtatuendum eſt, quæ res puriſſimas faſtidioſâ venuſtate oblimavit, & omnem divini Verbi vim nimiâ curaturâ eliſit, & verba à Patribus & toto Chriſtianorum cœtu recepta & uſurpata ineptiſſimè repudiavit: homo cæteroquin ſimplex, & ab omni faſtu alienus, ut de eo verè ſcripſit Sammarthanus, & eximiam in operis ſui præfatione ingenuitatem & candorem præ ſe ferens, proptereáque à nobis ſine contumeliâ dimittendus. Aliquot deinde, poſt illam ætatem, annis ad ſacrum opus interpretandum ſeſe accinxerunt Immanuel Tremellius, & Franciſcus Junius, laudabili quidem conatu, ſed cui ex libertate nimiâ par ſucceſſus non obtigit. Itaque Johannes Piſcator poſt collocatam in ea lucubratione illuſtranda & emendanda non levem operam, utilius ſe demum in nova procuranda interpretatione laboraturum intellexit; ſic tamen ut priorem illam ſpectaret præcipue, palamque imitaretur. Neque verò prætereundæ ſunt ex interpretationibus exoticis Latinè expreſſæ interpretationes: ea, puta, quæ in Complutenſi Bibliorum editione è Septuaginta Interpretum converſione tradu&a eſt; quâ profectò nihil diligentius & Græco exemplari conſonum magis fingi queat. Quod uti-

18. Sebaſtiani Caſtalionis,

19. Immanuelis Tremellii, & Franciſci Junii,

20. Latinâ Complutenſi, è Septuaginta expreſsâ.

utinam de Latinâ Chaldaicæ Paraphraſeos interpretatione dici poſſet! Nam quamvis eam ad verbum excudendam receperint viri linguæ hujus peritiſſimi; illámque demum Arias Montanus partim emendaverit, partim etiam expleverit, in multis tamen interpretum fidem nutare comperias. Johannem Reuchlinum, Felicem Pratenſem, & Paulum Fagium propter operum parvitatem prætereo; nam hic in aliquibus duntaxat Scripturæ particulis, illi in Septem Pſalmis facultatem ſuam periclitati ſunt; quam præclarè nobilitaſſent, ſi in reliquo Bibliorum opere pari eam caſtitate exeruiſſent. Nec reliquos item in hanc ſcenam producam, qui exiguas tantùm ſancti libri partes attigerunt; non Cardinalem ipſum Cajetanum, qui quamvis in compluribus ſacri Voluminis partibus Latine magna fide convertendis facultatem ſuam exercuerit, in obſcuro tamen jacuit ejus labor, nec ſuffragiis doctorum comprobatus eſt. Cum enim Ebraicæ ac Græcæ linguæ ignarum ſe profiteretur, viros utriuſque peritos, non ad eruendos ſenſus, quos aperte neglexit, ſed ad verborum ſignificationes cognoſcendas, quas ſpectavit unas, in conſilium adhibuit. Merito itaque alienæ eruditionis fœtum excluſiſſe creditus eſt. Quidam intra Novi ſolius Teſtamenti cancellos ſuam in interpretando induſtriam explicuerunt, quorum facilè, meo ju-

21. Latinâ Complutenſi è Chaldaicâ Paraphraſi expreſsâ.

22. De Latinis quibuſdam Novi Teſta-

menti Interpretationibus, 23. Deſiderii Eraſmi, dicio, princeps eſt Deſiderius Eraſmus: is eâ felicitate hanc ornavit Spartam, ut & verba verbis, & ſententias ſententiis, & ſaporem ſapore exæquaverit; & perſpicuitatem tamen, cum dictionis caſtitate, & nativo illo colore obtinuerit, quæ ad integram interpretis laudem unicè requirebamus. Quinetiam ubi propter Latinæ linguæ indolem, quod uno Græci, idem pluribus exponere verbis neceſſe habuit, aſcititia verba vario & inſigni charactere depingi curavit, quo fidei ſuæ integritas palàm extaret. Inde adeò Leonis Decimi Pontificis Maximi Diplomate commendari meritus eſt hic ipſius labor. Et tamen, quæ rerum humanarum varietas eſt, eodem nomine ſuggillatus eſt à multis, inter quos familiam duxit Petrus Sutor, pius quidem homo, & doctus; ſed neque doctrinæ, neque acuminis, neque urbanitatis & elegantiæ merito cum Eraſmo componendus.

24. Theodori Bezæ, In idem aliquanto poſt pelagus ſeſe capeſſivit Theodorus Beza, at non perinde proſperâ tempeſtate uſus eſt; quamvis enim ſummam fidem & ſimplicitatem ipſo ſtatim initio fuiſſet profeſſus, laudi tamen facundiæ, & Latinitatis ſtudio nimiùm eſt velificatus: nec quicquam enim, viri de me licèt olim bene meriti gratiâ, de veritate apud vos detractum velim.

25. Et Guidonis Fabritii Bederiani, Inſignis inter alias Guidonis Fabritii elaborata ad Syriacum Novi Teſtamenti exemplar interpre-

pretatio, ídque tam diligenti & exquiſitâ convenientiâ, ut nihil ſuprà. Ac de Sacrorum Voluminum interpretationibus hactenus, quas vel integras, vel ex parte tantum aliqua mihi videre contigit. Ne quid autem ſtudio veſtro deſit, eas etiam obiter commemorabimus, de quibus vel legendo, vel fando accepimus à viris curioſis, qui veterum illorum diligentiam æmulati, in exteras regiones incredibili diſcendi cupiditate ducti ſe contulerunt. Multorum ergo in ore ea eſt Pentateuchi interpretatio, a Samaritis condita Chaldaico quodam ſermone, qui antiquitatem ſapit priſci illius ſermonis, quo majores ipſorum ex Babylonia, aliiſque vicinis provinciis in Samariam miſſi utebantur. Hujus interpretationis propter craſſiſſimam gentis inſcitiam, Auctorem vulgò ignorabilem eſſe ferunt: neque verò de ejus antiquitate quicquam poſſe definiri. Ante Chriſtum quidem confictam plerique jactant; quin & à temporibus, Eſdræ, Nehemiæque ætati proximis eam arceſſunt nonnulli, ſed non ego credulus illis: etſi ſatis antiquam eſſe loquela declarat. Id vero rei caput eſt, laudabilem interpretis fidem eſſe ac integritatem, cùm ferè par utrobique verborum numerus, cum ſententiarum conſenſione appareat; quam quominus ubique retineat, denſiſſima literarum ignorantia cauſæ eſt, quâ excæcatus ludos de ſe nonnumquam facit.

§26. De Samaritanâ Scripturæ interpretatione, deque Græca ad Samaritarum exemplar elaborata,

facit. Compoſita eſt hæc interpretatio ad Pentateuchi Samaritanum exemplar, totidem conſtans literis, quot olim Ebraicum, ut ex Hieronymo diſcimus, figuris tantùm diſcrepans & apicibus, quo uno omnis Samaritarum ſtátque, cadítque religio. Exigua nonnulla de eo, ſibi licèt numquam viſo, adnotavit Joſephus Scaliger; charactere quidem merè Moſaico exaratus eſt, ut ipſe ex Poſtello tradit; at non totidem literis, quot hodie Judæi, ne unâ quidem, quemadmodum ait ille, minùs aut ampliùs; levia enim quædam gratìs inſerta ſunt, quædam tranſpoſita. Græce præterea Pentateuchum Samaritani verterunt; Helleniſtæ videlicet, ut opinor, Ægyptienſes, Græca lingua uti ſoliti: quemadmodum qui Samaritice loquebantur, Samaritanam ſibi procuderunt interpretationem; Arabicam, qui Arabice. Nonnulla occurrunt in veterum Patrum libris, & in Scholiis Græcis fragmenta interpretationis hujus, unde cognoſcas elaboratam fuiſſe ad converſionem Samaritanam, ac fortaſſe ex Septuaginta Senum opere interpolatam; a verbis raro quidem, ſed nonnumquam tamen diſcedere; ſententias vero diligenter conſectari. At Arabicæ illorum interpretationis fragmenta quæ ſuperſunt, huc illuc inſerta habent commata quædam aſcititia, quibus corrupta eſt egregii cæteroquin operis integritas. Copticæ quoque

Hieron Prol. Gal.

Scalig. lib. 7 de Emend. Temp.

27. Coptica,

que interpretationis exemplaria aliquot in Europæ Bibliothecis quibuſdam attineri audio; quæ cujuſmodi ſint, juxta ſcio cum ignariſſimis. Id ſcio, vetuſtatis nomine commendari eam plurimum, & mille ab hinc & trecentis annis concinnatam ferri. Videtur quidem expreſſa è Græcis Septuaginta Senum, quorum in his partibus frequens erat uſus: quanquam & ex Ebraicis ac Chaldaicis etiam aliæ Coptorum interpretationes extitiſſe creduntur. In aliquibus etiam Orientis tractibus, uſurpantur Scripturæ ſacræ Libri, ad Græ- 28. Armenicâ,
cum itidem, uti accepi, Septuaginta interpretum exemplar Armenice converſi: qui interpretemne Chryſoſtomum, quod vulgo creditur, an Georgium primum Armenum Patriarcham habeant; an, quod probabilius mihi ſit, Chryſoſtomi æquales, Moſem cognomento Grammaticum, & Davidem cognomento Philoſophum, rerum Armenicarum conſulti & αὐτόπται dijudicabunt. Te- *Theodoret.*
ſtatum quidem reliquit Theodoretus, qui *De curand. Græc.*
ſuppar fuit temporibus illis, Codices ſacros *affect.*
ſua ætate Armenicum cultum, habitumque induiſſe. Præclara verò ea eſt, & omni commendatione digna interpretatio Dalmatica, 29. Dalmaticâ,
quæ & Hieronymiana appellatur, idcirco quòd Hieronymum auctorem habere creditur; hanc hodiéque apud Illyricos, Dalmatas, aliáſque hujus linguæ nationes in uſu

eſſe ferunt; ut non characteres ſolùm, quibus utuntur, ab eodémque Hieronymianos dictos, ſed iis etiam literis deſcriptam converſionem, in auctoris, puto, gratiam, conſtantiſ-
30. Rutenicâ, ſimè retinuerint. Quemadmodum autem germana hujus linguæ Rutenica, ex eodem fonte profecta, literarum tamen figurâ & dialecto valde differt; ita ſuam ſibi peculiarem habet Bibliorum interpretationem, à Cyrillo quodam Rutenicorum itidem characterum auctore, Methodio operam conferente, ante octingentos annos ex libro Septuaginta virorum procuratam: de quibus omnibus, dèque
31. & Gothicâ. Gothicâ illâ perveteri, quam Ulphilæ, cum characteribus ſuis Gothi acceptam ferunt, & Nicænæ Synodi temporibus elaboratam eſſe ſtatuunt, à peritis earum linguarum viris plura audietis. Nunc verò enumeratis Scripturæ ſanctæ nobiliſſimis editionibus, ad alias interpretationes exoticas, quando id ipſi nobis impoſuimus negotíi, progrediamur: inter quas cùm alterum à Græcis, quas infrà, cum aliis, quæ nobis frequentiori uſu cognitæ ſunt, tractabimus, locum Arabicæ teneant, omnino
IV. De Arabicis Interpretationibus Auctorum τῶν ἔξωθεν. eſt ab iis auſpicandum. Atque utinam votis meis & vehementiſſimæ cupiditati eventus reſpondiſſet, ampliores equidem, ex immenſis locupletiſſimæ illius linguæ theſauris, copias comparaſſem, & nunc æquiſſimis veſtris deſideriis abundè ſatisfacere poſſem; ſed neſcio

cio quæ fati iniquitas meos in hoc ſtudium impetus retardavit. Quem enim optimum mihi ducem ſelegeram, Ubertum medicum, eum, ut dixi, ex hac urbe egeſtas extruſit: Hadrianum deinde Gulielmi, Fliſſengenſem, annis quidem etiam tum juvenem, ſed Arabicis doctrinis, ut Græcas, Latináſque ſileam, & totius ἰατρικῆς ὕλης incredibili peritiâ inſtructum, tamquam donum aliquod δεσπότης apud me exceperam, operámque illi aſſiduiſſimè dabam, cùm ecce optimum adoleſcentem mors immatura corripuit: cui ſi longiorem lucis uſuram conceſſiſſet Deus, quâ ſpe prælucebat in poſterum, ad immortalitatis gloriam dubio procul evaſiſſet. Hoc autem caſu fracta mea ſpes erat penè omnis, & afflicta, niſi ſapientiſſimis Scaligeri præceptis & conſiliis fuiſſem erectus; & nî erudito juveni ſuccedaneum Thomam Erpenium, *cùm aliarum literarum & Philoſophiæ callentem, tum Arabiſmi, & grammaticarum ejus linguæ obſervationum mirificè curioſum & intelligentem*, Deus nobis excitâſſet. Quòd ſi diuturniorem in his locis feciſſet moram, pro noſtrâ familiaritate Hadriani mei jacturam poterat reparare. Quodcumque ergo proprio Marte, aliis impeditus, ſucciſivis operis arripere potui, mihi non defui: aliquam vocum Arabicarum meſſem mihi collegi; in Avicennâ, non ſecùs quàm in piſtrino deſudavi;

Caſaub. Ep. 263.

Geo-

Geographi Nubienſis magnam partem Latinè reddidi; & tamen vix in Arabicæ linguæ primo limine adhuc adſtitiſſe me ſentio, ut noſtri noſmet omnino pœniteat. Hæc autem eò præfatus ſum, ne quid à me valdè reconditum expectetis. Quod ad Arabum ergo interpretationes ſpectat, ut omnes ſemel complectar, in eodem laxitatis, infidelitatis, luxuriæ, laſciviæ vitio penè verſantur univerſæ. Quum enim denſiſſima caligo ingenuas artes inſediſſet, quo tempore gens ea florere cœpit: ex quo nempe retorridus ille veterator Muhammedus ſtolidas mentes vanâ ſuperſtitione deluſit, parùm viderunt in literis; & quum Græcorum veterum ſcripta ferè omnia, ne ab ipſis quidem recentioribus Græcis, nedum ab alienigenis intellecta, vernaculâ linguâ popularibus ſuis exponenda ſuſcepiſſent, ineptiſſimis ea interpretationibus contaminârunt, detractis multis, pluribus adjectis, inverſis ferè omnibus & interpolatis. Neque verò Latinorum ſcriptorum converſionem feliciùs adminiſtrârunt. Auctor eſt Leo Africanus in Latinis quibuſdam explicandis auctoribus, in his fortaſſe Tito Livio, ne ſervatum quidem à ſcriptoribus ordinem Arabes interpretes tenuiſſe, ſed ſumma ſolummodò rerum ſecutos faſtigia, ad Annales Perſicos, aut Chaldaicos, vel Hegiræ Æram univerſa accommodâſſe. Interpretum Arabum Catalogum texuit

Leo Afric. in Deſcript. Afric. lib. 1.

texuit Muhammedus quidam Haaci filius, vetuſtiorum itidem & recentiorum, qui variis Perſarum, Syrorum, Indorum libris Arabicam linguam locupletarunt. Hinc multa de gentis illius ſtudiis cognoſci poſſunt. Stephanum is commemorat, qui Chalidi, Muaviæ nepotis, juſſu Mechanica pleraque ſcripta vertit: commemorat & Batrikium, qui Almanſori; Haſenum & Herhagum, qui Almamoni in libris exoticis Arabiſmo donandis operas ſuas locarunt. His verò potiſſimùm temporibus ſtudia literarum apud Arabes viguerunt, quibus regnum tenuit hic Almamon (anno ſcilicet Hegiræ circiter ducenteſimo) vigeſimus octavus Chalifa, ex Abaſſidarum gente ſeptimus, doctis favens, ipſe literis, atque Aſtronômicis præſertim ſatis excultus, cùm apud reliquas Aſiæ & Europæ gentes miſera barbaries graſſaretur. Apud eundem Africanum, in libro De doctis Arabibus nondum edito, memini me legere, immani diſciplinarum datum deſiderio ictum hunc Chaliſam in varias orbis partes miſiſſe homines literatos, qui optimos quoſque codices ſibi pretio compararent; in his Johannem Meſuam, aliòſque hujus ætatis viros, inter Arabes, literarum gloriâ florentiſſimos; immenſæ librorum copiæ compotem factum Almamonem, ſelegiſſe præſtantiores, eorúmque Arabicè exponendorum curam hominibus eruditis, eidém-

eidémque præſertim Meſuæ impoſuiſſe, atque inde porro Arabicam converſionem Ariſtotelem, Galenum, & in Almageſto Ptolemæum fuiſſe conſecutos. Huic ergo præcipuè ætati Arabicæ debentur Græcorum auctorum interpretationes: cum alii quoque Chalifæ, iiſdem ſtudiis dediti, volumina Græca collegerint diligenter, & a Conſtantinopolitanis Imperatoribus ad ſe miſſa patrio ſuo ſermone reddi curaverint; cumque Juſtiniani ævo, hoc eſt, ducentis ante & quinquaginta circiter annis, Choſroën Perſarum Regem Platonis & Ariſtotelis aliorumque libros Perſico jam ſermone donandos curâſſe prodat Agathias. Nam Perſas quoque eadem bonarum literarum ex Græcorum libris hauriendarum cupiditas tenuit. Itaque nobiliſſimos gentis hujus Scriptores Perſice loqui inſtituerunt, ſive converſos de Græcis exemplaribus, ſive de interpretationibus Arabicis, ubi Græcorum exemplarium copia deeſſet, vel Græcæ loquelæ peritia. Operam ſuam huic exercitationi impendiſſe præcipue fertur Codgia Neſir, cujus plurimæ interpretationes celebrantur: de quibus quid nobis cenſendum ſit, ex Arabicis, unde fere propriis cumulatæ vitiis provenerunt, arbitramini. At nunc his prætermiſſis, Arabicarum illarum interpretationum præcipuas duntaxat, quaſi per ſaturam, colligam. Nobiliſſima omnium illa Euclidis, ipſorum

Agath. lib. 2.

Ara-

Arabum judicio, eſſe fertur; Romæ Sixto Quinto ſedente edita; Euclidis tamen ſenſus fœdè corrumpens, methodúmque & ordinem, in quo libri totius vertitur præſtantia, præpoſterè diſtorquens: quæ quum tanti ab ipſis fiat, reliquæ inde facilè ſpectari poſſunt. Apollonium quoque Pergæum de Græco fecerunt Arabem, eâque adeò linguâ ſeptem legi Conicorum libros dicunt, quorum quatuor tantummodò Latinè redditi apud nos extant: at ea nondum, quod ſciam, huc allata eſt ex oriente interpretatio. Arabicè itidem Theodoſium Tripolitam loqui docuerunt; quantâ fide, malo vos à Johanne Penâ inſigni Mathematico, quàm à me audiatis: ſic ille; *Si quis Theodoſium ex Arabico verſum, & Venetiis excuſum cum Græco conferat, incredibile diſcrimen, non modò facilitatis, ſed etiam brevitatis inveniet. Primò enim Theodoſius ſex, ſeptémve definitionibus tantùm contentus fuit: at Arabes alias ſeptem, eáſque ferè ſupervacuas adjecerunt. Theodoſius multitudinem Theorematum conſultò vitavit, & totum Sphæricum negotium ſexaginta Propoſitionibus abſolvit: at Arabes hunc numerum triente auxerunt, & pro ſexagenis octogenas cumularunt. Theodoſius ſingula Theoremata ita monſtravit, ut nullam demonſtrationis partem omiſerit: at Arabes adeò Theodoſii Demonſtrationes decurtarunt, ut neceſſaria pleraque reli-*

Joh. Pena Præf. ad Theodoſ. Sphær.

reliquerint. Ac, ut ſemel dicam, Arabes hunc auctorem tam diverſum fecerunt, ut vix ullam ejus ſpeciem retinuerint, ſed præſtantiſſimi, & clariſſimi Mathematici doctrinam facillimam variis ambagibus obſcurarint. Locum prolixum olim mandavi memoriæ, propter momentum rei, & nunc vobis recitavi, quo faciliùs de reliquis poſſitis conjicere. Arabicæ Autolyci interpretationi quàm parùm cum Græcis conveniat, teſtis eſt Joſephus Auria in eâ Præfatione, quam Autolyco à ſe edito præfixit. Nec meliùs verò in Herone & Ptolemæi Almageſto, quod anno Hegiræ CCXII. Almamonis Saracenorum Regis juſſu tranſlatum eſt, aliiſque, quos recenſuimus, verſatos Arabes eſſe crediderim. Ptolemæi ſanè Planiſphærium Arabicè à Maſſem Arabe redditum, & Latinè ex Arabico à Rodolpho Brugenſi converſum ſi contuleris cum Latinâ Federici Commandini interpretatione è Græco archetypo derivatâ, quæ ſit Arabibus interpretibus fides adhibenda, clarè intelliges. Innumeros è Galeno, Paulo Æginetâ, & Dioſcoride pannos operibus ſuis adtexuit Avicenna, innumeros itidem ſuis ex Platone, Ariſtotele, Themiſtio, aliiſque Græcis Scriptoribus R. Moſes ben Maimon, quem quidam Græce peritum fuiſſe volunt: verum reſartos eos, & ad arbitrium reconcinnatos, ſuique plane diſſimiles. Meminerimus tamen, quod adno-

adnotatum jam nobis eſt, aliud eſſe interpretari, aliud auctorum loca colligere & proferre; ne temerè fortè Medicorum Arabum principem, & Rabbinorum doctiſſimum culpemus. In Dioſcoride præterea quàm vanam operam poſuerunt Arabes! ejus tamen maximam partem in Abenbitare converſam, neque à Græcis omnino abſonam & alienam reperiri fatendum eſt. Galenum autem, Cebetis Tabulam, Ariſtoteli adſcriptos De Philoſophiâ Ægyptiorum libros ab Abenamâ Saraceno Arabicè redditos, aliáque ejus opera ferè omnia, non ex Græcis fontibus, ſed ex Latinis lacunis, iíſque contaminatis deducta, Aurea Pythagoræ Carmina, Catonis Diſticha, Alexandrum, Themiſtium, Nicolaum Damaſcenum, aliáque compluria, vel aſſecuti non ſunt, vel ſi quando mentem eorum perſpexerunt, vitioſâ interpretatione fœdarunt. Fabulas morales Pilpæi Brachmanis ex Indico Sermone Perſicè primum convertit Perzoës medicus, Choſrois Perſarum regis juſſu, qui floruit Juſtiniani temporibus. Arabicam deinde interpretationem adepta eſt Perſica iſthæc, Abujafaris Almanſoris Chalifæ mandato. Arabicam hanc demum interpretationem Perſæ iterum linguæ ſuæ reddiderunt. Interpretum illorum intemperiis ut diſcerptum fuerit ac truncatum hoc opus facile ſpectari narrant ex Perſica converſione, quæ ad Arabicam

exacta eſt, ſi cum Græca a Symeone Setho accurata conſligatur. Neque ab ea interpretandi licentia declinatum Arabem quemquam facile reperias. Parem itaque tenorem ab iis ſervatum exiſtimare licet in Ariſtotelis & Galeni operibus ab Honaino, ab Iſaaco, a Thebith ben Corrab, a Theodoro aliiſque plurimis, Arabice, vel ex Arabico Syriace converſis; parem in Conciliis Sacris, in Canonibus Apoſtolorum, in Baſilio & Chryſoſtomo; parem in Thalmude, qui Arabicam interpretationem meritus eſt, quo tempore ſacris Codicibus vertendis incumbebat Saadias Gaon; parem in Arcano arcanorum, ſi modo ab Ariſtotele primum ad Alexandrum ſcriptus re ipſa fuit liber hic, uti fuiſſe fingitur ab Arabibus, non nativus eſt ipſorum fœtus; parem in inſigni illo Animalium Dialogo, qui ex Græco archetypo prodiiſſe dicitur; parem in Zabiorum libris, quos Arabice vel ex Chaldaico, vel ex Ægyptio ſermone interpretatos triviſſe ſe teſtatur Maimonides, & in celebri illorum ſcriptione De agricultura, Rabbinis ſæpe memorata, quam Arabice ut & alias pleraſque Zabiorum ſcriptiones explicavit Aben Vachaſchijah, explicavit & doctus ille Maimonis filius; parem denique in ſexcentis hujus generis interpretationibus, quæ nondum pervenerunt ad me, & de quibus mihi, niſi ex aliena fide, loqui fas

non

non eſt. Fluxâ hac autem & ſubleſtâ interpretationum fide ab Arabicis ſtudiis quemquam deterreri nolim. Græcos quidem, & inventam, excultámve à Græcis doctrinam inter Arabes ſi quæſiveris, oleum & operam perdideris; at ab Arabibus Arabiſmus ipſe, Arabúmque inventa petenda ſunt. Vitium illud, quo cumulata eſt erudita hæc Arabum natio, ſuſtuleris, in reliquis doctrinæ ſuæ ac ſedulitatis famam tuebitur, & fortaſſe ſuperabit. Inter Judæorum Magiſtros, pauci quidem, ſed nonnulli tamen huic interpretandi ſtudio ſe dediderunt. Diodori Tarſenſis, & Theodori Mopſueſteni opuſcula Syriace, Armenice, & Perſice vertiſſe Ibam, aliosque Neſtorianos cognoſcimus ex Actis Quintæ Synodi, & ex Breviario Liberati. Ethica Ariſtotelis Ebraicè retulit, anno Chriſti M. CCCCV. Meirius Regis Caſtiliæ Medicus. Euclidem & R. Jedaiæ ſelectas Margaritas ex Arabico in Ebræum convertit R. Moſes Aben Tibbon ſub ſæculi XIII. finem. R. Salomonis ben Gavirol ſelectas Margaritas, Arabicum opus Ebraico ſermoni reddidit R. Iuda Aben Tibbon. Idem etiam librum, cui *Officium cordium* titulus eſt, Arabicè primùm à R. Bechai ſene, circa annum M. C. L X I. conſcriptum Ebraicè repreſentavit. Abintaris quoque Arabicum Tractatum De principiis Ebraico ſermone repoſuit R. Moſes ben Sa-

V. De Ebraicis & Syriacis *c*

Samuel. Epiſtola ebn Tophail Arabicè ſcripta, Ebraicè reddita eſt ab ignoti nominis interprete. Ebraicè reddita a R. Jacobo Romano Arabicè ſcripta Grammatica R. Jonæ ben Ganach. Redditæ itidem Ebraice a Chariſio Collectiones R. Ithiel Chariri, ſcriptio Arabica. Ebraicè redditum de Arabico Arcanum arcanorum ſupra nobis memoratum. Ebraicè reddita a R. Noacho Epiſtola Arabica Maimonidæ ad R. Nathanaëlem, alioſque Judæos verſus meridiem habitantes. Ebraice a R. Juda Aben Tibbon reddita Maimonidæ ejuſdem Arabica Epiſtola de mortuorum reditu ad vitam. Ebraicè a R. Calonymo redditus ex Arabico Abulſaphe Dialogus animalium, de quo proxime dixi. Muhammedi Ferganenſis, quem vulgo Alfraganum appellant, Chronologica & Aſtronomica Elementa de Arabicis ita Ebraica fecit R. Jacob filius Antolii, ut Johannis Hiſpalenſis interpretatione veriorem, integriorem, & omni ex parte meliorem dederit. Eximium doctiſſimi Maimonidæ opus, *Ductorem perplexorum*, loquelâ quidem Arabicâ compoſitum, Ebraicâ autem explicatum, penes Scaligerum utrâque linguâ ſcriptum eſt, ut didici ex ipſius literis ad me datis: cujus interpretationis auctor eſt R. Samuel Aben Tibbon. Memoratur & alter libri ejuſdem interpres R. Juda Alchariſi, verum abſonus & inconcinnus. Editus quoque eſt à Johanne Iſaa-

co

co Levitâ Liber, cui *Spiritus gratiæ* titulus eſt, à R. Aben Tibbon ex Maimonidæ Ductore perplexorum in Ebraicam orationem converſus, & in epitomen contractus: Aaronis Pandectæ medicinæ, Arabicè & Syriacè ſunt expoſiti. Arabici primum de Græcis, de Arabicis deinde Ebræi facti ſunt Plato, Ariſtoteles, & Ariſtotelis interpretes plerique, Galenus, & Galeni Epitome a Maimonide Arabicè lucubrata, Æſopi Fabulæ, aliique nobiliſſimi Scriptores Græci. Arabicam librorum Ariſtotelis Compilationem Ebraicè repoſuit R. Schem Tob Phalkeira. Vix ullus Ariſtotelis liber eſt, qui non vel Arabicus, vel Syriacus factus ſit. Inſignis præcipue fuit in eo interpretando labor Honaini ebn Iſaac, Iſaaci filii Honaini hujus, Yahiæ ebn Adda, Aba Scharmatæi, aliorumque, quorum ſupervacanea foret recenſio. Quædam etiam Philoſophi hujus ſcripta Tartariacam interpretationem feruntur eſſe adepta. Nec eximiorum illorum Arabum, Avicennæ, Averrois, plurimorumque hujuſmodi libris Judæi linguam ſuam carere paſſi ſunt. Sed & Latina aſciverunt quædam, velut aureum Boëthii libellum De conſolatione Philoſophiæ, quem Ebraico ſermone retulit R. Samuel ben Banſchat, Græce fortaſſe, ut alia ejus opera, converſum. Multorum è Græcis Patribus Scriptiones literis Syriacis mandarunt gentis hujus Chriſtiani,

Maronitæ, Jacobitæ, & Neſtoriani. Sapientiam Salomonis Chaldaice ſcriptum vidiſſe ſe teſtatur R. Moſes ben Nachman, verſam nempe de Græco, ſi quid ſapio. Homeri libros aliquot Theophilus Edeſſenus vertit Syriace. Theophraſti Metaphyſica Syriace expoſita, Arabice tranſtulit proxime laudatus Yahia; alios ejuſdem Auctoris libros Abraham ebn Tacwin. Nicolâi Summam Philoſophiæ Ariſtotelicæ, atque item Pauli Æginetæ opera nonnulla idem ille Honainus ebn Iſaac, de quo dixi, Syriace repreſentavit. Ebræus is fuit & medicus, & circa annum reparatæ ſalutis octingenteſimum ſeptuageſimum floruit, neque quiſquam Græcæ doctrinæ ſpoliis populares ſuos majore ſtudio ditavit. Hujus veſtigia in transferendis Veterum operibus ſectati ſunt Iſaacus ejus filius, & Hobaiſus ebn Alaſam, ſororis filius, cujus interpretationes pleræque Honaino tribuuntur. Nec ſegnes fuerunt Copti & Æthiopes, Armeni & Indi, in transferendis optimis Græcorum monumentis. Patrum Græcorum ſcriptiones bene multæ Coptico ſermone expoſitæ ſunt; Armenico Chryſoſtomi opera; Concilia & Auctores Eccleſiaſtici complures Æthiopico, Homerus etiam Indico, ut diſcimus ex Dione Chryſoſtomo. Verùm cum interpretationum harúmce, vel exemplarium, è quibus deductæ ſunt, copia adhuc mihi nulla facta ſit, ab omni me, circa inter-

interpretum fidem præjudicio ſuſtineo. Perpaucas tantùm iſtas, quas poſſumus, ex archetypis æſtimemus. Ariſteam è Græco Ebraice tranſtulit R. Azarias Idumæus, prolixo quidem ſermone, & diffuſo; ſubobſcuro nihilominùs & difficili; ſuam tamen circa ſententias religionem egregiè tuetur. Diſſimili uſus eſt ratione in convertendo Ebraice Pſeudo-Philonis Judæi Breviario temporum, quod libro ſuo Meor enajim intexuit, adeo peruerſum & mutatum, ut vix agnoſci poſſit. Apud me eſt vetus codex, quo præter Abintarem ſuprà laudatum, & Ptolemæi tractatus aliquot, Alexandri Aphrodiſæi liber de Animâ ab Iſaaco Ben Honain Arabicè redditus, à Moſe neſcio quo Ebraicè converſus, aliáque ejuſmodi nonnulla comprehenduntur: in quibus ſi ab exemplaribus diſſenſio aliqua ineſt; ineſt verò, & maxima quidem, illud Arabibus potiùs quàm Judæis vitio vertendum eſt: uſitata quippe ferè apud Judæos, & à multis recepta eſt ad verbum interpretandi conſuetudo. Galeni & Ariſtotelis libros vertiſſe laudatos a me, Honainum Iſaaci filium, & Iſaacum alterum, hujus Honaini filium, & jam dixi, & teſtificatur Maimonides: Arabicène, an Ebraicè, non apponit: ex ejus verbis unum id illos ſtuduiſſe dicas, ut ore rotundo loquerentur; at ſententiâ tamen ejus attentiùs perſpectâ facilè intelligas de verbis eos, verborúmque ordine tantùm

R. Moſ. ben Maim. Epiſt. ad R. Jeh. Aben Tib.

remiſiſſe, quantùm linguarum diſcrepantia, earumdémque facultas poſtulavit. Librum Cozri ante quingentos annos à R. Juda Levita Hiſpano Arabicè ſcriptum, Ebraicè non multo poſt explicavit R. Juda Aben Tibbon. Fugit eum nonnumquam nativa Auctoris ſententia, quemadmodum obſervatum eſt à R. Azaria in Meor enajim: qui infelicius etiam librum hunc à Juda ben Cardaniel fuiſſe interpretatum conqueſtus eſt. Reliqua quoniam vel prælo nondum ſunt commiſſa, vel ad nos omnino non tranſmiſſa, arbitrium noſtrum effugiunt. His igitur omiſſis, ad ulteriora progrediamur. Interpretandi artificium ab antiquioribus Græcis ferè ſpretum, recentiores leviter excoluére; quæcumque autem è linguis exoticis in Græcam traducta ſunt, in iis ferè contigit, ut ab ipſis interpretationibus extruſa paulatim exemplaria penitùs tandem interciderint. Quo enim alio caſu factum veriſimiliùs eſſe dicam, ut poſtquam libro Sapientiæ Ebraicè primum condito, Græcè laxius, liberiuſque vertendo ſtilum ſuum commodavit Philo Senior; Sanchoniathonis Berytii Phœnicum Hiſtoriam, Phœniciâ conditam linguâ, Græcè reddidit multis auctam additamentis Philo alter Byblius; Theodotum, Hypſicratem, & Mochum, qui Phœnicum res geſtas, Phœnicio item ſermone tradiderunt, Græco retulit Chætus, quemadmodum appellatur apud Tatianũ; vel Aſitus, ut apud Euſebium, ſeu potiùs Lætus, quem-

VI. De Græcis.

Tatian. Orat. contra Gr.

quemadmodũ à Clemente Alexandrino,unde *Clemens Alexand. Stromm.*
& Tatianus & Euſebius corrigendi ſunt; Magonẽ Carthaginenſem, Georgicorum ſcriptorẽ Punicum Caſſius Dionyſius Uticenſis Græcè repoſitum Sextilio Prætori miſit; Hieroglyphica Horapollinis Ægyptio ſermone ſcripta, Græco expreſſit Philippus; librum Enoch, cujus inſigne fragmentũ habet Georgius Syncellus, Ebraicâ, Hannonis Periplum Punicâ, Raſe Medicum Arabicâ linguâ ſcriptos, Græcè loqui docuerunt neſcio qui; Antonii Monachi Ægyptiacas Epiſtolas Græcâ quidam loquelâ expreſſerunt; Bardeſanes item Archelaus Meſopotamiæ Epiſcopus, & Ephraimus Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, de Syris Græci facti ſunt; Syntipæ Philoſophi fabulam Muſus, hoc eſt Moſes Perſa, & Iſaaci, è Monacho, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyteri Sermones Aſceticos Abraham & Patritius è Syriaco Græcè ſunt interpretati; aliquæ duntaxat Interpretationes ſuperſint, primigenii ipſi auctorum libri perierint. Orationem ab Ægyptiis ad Solem haberi ſolitam, cum mortuorum viſcera arcæ incluſa in flumen projiciunt, ex Ægyptio ſermone in Græcum Euphantus derivavit; ex eadem lingua Græcis quoque verbis rependit Arius Heracleopolita Allegorias, quas magnus Ægyptiorum ſacrorum antiſtes & ſcriba Epeis in literas retulerat; Perſicorum Regum Hiſtoriam è Perſarum tabulariis depromſit, Græco ſermone ſcitiſſimè tranſſcripſit, & ad Agathiam *Agath. lib. 17.*

 Scho-

Scholaſticum tranſmiſit Sergius optimus interpres; Iſaaci Iſraëlitæ, inſignis inter Arabes medici, Viaticum Græcè vertit Conſtans Memphita; Arabica Achmeti Onirocritica Græcâ interpretatione affecta ſunt; Pſeudocalliſthinem, Paulum Arabem, interpretem ſomniorum, aliaque Magiſter Sethus; Beeczeberi Medicinalem librum Georgius Byzantius; Avicennæ librum de urinis Actuarius; Mazuri Ægyptii librum Medicæ artis præcepta tradentem Johannes Duca, & Zaphari Elgzezari F. peregrinantium Viaticum Conſtantinus Aſyncritus ex Arabico Græcè expoſuerunt: Conſtantini Romanam Hiſtoriam Latinè conſcriptam, aliáque nonnulla in Græcum ſermonem transfudit Georgius Zigabenus; Humberti Epiſcopi Diſputationes Conſtantinopoli habitas Græcè è Latino interpretati ſunt Paulus & Smaragdus; Fidei orthodoxæ Profeſſionem, Arabicè à Theodoro Abucarâ ſcriptam, Græcè explicavit Michaël Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Syncellus; Ariſtotelis libros duos de Plantis Arabicè è Græco converſos, Græce rurſus ex Arabico redditos fuiſſe à Maximo neſcio quo jactant; Græcam nacta ſunt interpretationem Ægyptiacè primùm ſcripta à Pachomio, Theodoro, Oreſieſio propoſita Monachis præcepta, quæ Latinè demum ab Hieronymo explicata habemus; & Evangelium denique ſecundum

Ebræos

Ebræos Græcè & Latinè idem Hieronymus expoſuit. Quarum omnium interpretationum ſervatâ tantùm parte aliquâ, exemplaria ſors abſtulit univerſa. His verò neutiquam annumeranda ſunt Hermeti Triſmegiſto falſò afficta opera, quæ Græce primum, & à Græcis hominibus conſcripta, & Syriace deinde à Syris converſa ſunt; & quorum nonnulla Ægyptiace & Græce ab eodem Hermete utriuſque ſcilicet linguæ perito ſcripta abſurdiſſime credidit Marſilius Ficinus: nec Abdias item Babylonius, cujus de certamine Apoſtolico libros Græce tranſtuliſſe nulla ratione creditur Eutropius, Latine Julius Africanus: nam quæ ſub his circumferuntur Auctorum nominibus opera, primis poſt Chriſtianæ religionis initia temporibus ſuppoſita fuiſſe cenſemus. Falſa quoque ſunt, vel parum certe ſincera, quæ de libris Mercurii ex Ægyptio ſermone in Græcum converſis tradit Jamblichus. At quæ ex ſacris illis inſcriptionibus Columnarum prioris Mercurii Agathodæmon, ſive alter Mercurius Græce fertur transſcripſiſſe, ea utpote propter vetuſtatem obſcura & incerta prætermittimus. Quemadmodum autem Græcæ linguæ nobilitate effectum eſt, ut obſcurioribus comprehenſa linguis exemplaria interpretationibus Græcis conceſſerint, ita Romanæ linguæ dignitas cauſæ fuit, cur Latinorum ſcriptorum Græ-

cæ converſiones, præ ipſis exemplaribus ferè neglectæ jacuerint: nam & duorum ad Euſebii Hiſtoriam adjectorum à Rufino librorum comparata Græcè à Cyrillo Hieroſolymitano & Gelaſio Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo interpretatio; & Salluſtii expoſitio Græca à Zenobio accurata, & Thomæ Aquinatis De ente & eſſentiâ liber à Gennadio Scholario in Græcum ſermonem refuſus, & Decreti Gratiani Venetias olim à Regis Cyprii Legato quodam allata Græca editio, & ab Anaſtaſio Antiocheno Epiſcopo Græcâ oratione donata Gregorii Magni Paſtoralia, & Eutropius Græcè à Capitone Lycio explicatus, & adornata à Conſtantino neſcio quo, ante hos centum circiter & octoginta annos Græca libri de Apollonii vita interpretatio, vel temporum ſeriem ferre non potuerunt, vel in obſcuris certè Bibliothecarum angulis, cum blattis, tineíſque luctantur. Quo magìs, mirari ſoleo, ecquî Trajani & Hadriani maximorum virorum Tactica temporis diuturnitas conſumſerit, Græcam ipſam interpretationem, Anaſtaſii Imperatoris juſſu, ab Urbicio compoſitam ad hanc uſque diem reſervârit. Caſſianum è Græco Latinè ab antiquo interprete fuiſſe relatum plurimis perſuaſum eſſe video, tum quòd eum legiſſe ſe teſtetur Photius, tum quòd in Italiâ Græcè ſcriptus haberi vulgò feratur: ego verò contrà ſentio è Latino potiùs

Phot. Bibl. Tmem. 197.

Græ-

Græca hæc promanâſſe, cùm Latinâ uſum ſe loquelâ non ſemel ipſe pronuntiet Caſſianus. Neque hîc audiendus Trittemius cum ſuâ Dionyſii Carthuſiani è Græco converſione, ad cujus verba ſi cautiùs attendiſſet eruditus ille vir, neque ſe, neque alios in errorem induxiſſet. Perraræ ergo eæ ſunt Græcæ interpretationes, quas ad nos fortuna tranſmiſit, de quibus leviter, pro more noſtro commemorabimus. Hieronymi librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, aliáque nonnulla in Græcum refudit ſermonem Sophronius, fidíque ac diligentis interpretis laudem conſecutus eſt; nec doctorum virorum ſequimur judicium, qui Hieronymiani hujus catalogi Græcam interpretationem, vel ab Eraſmo, qui primus eam edidit, ſuppoſitam, vel à nebulone aliquo ſubditam, & Eraſmo obtruſam arbitrantur; cùm locos habeat Suidas ex eâ αὐτολεξεὶ depromptos. Qui Tertulliani Apologeticum Græco ſermone explicavit, ſive is Euſebius fuerit, ſive, quod facilius crediderim, alius quiſpiam Euſebio antiquior, non ſemper Auctori at arbitrio quandoque ſuo morigeratus eſt, reciſis nonnullis, vel interpolatis: cum alia tamen pleraque de Latinis Græca, nec infideliter, nec inconcinnè facta Hiſtoriæ ſuæ Euſebius intexuerit; quod heri memini me dicere. Quod ſi quis Tertullianum ſui ipſius interpretem fuiſſe velit, ut alia quædam lingua utraque ſcripta edidit, neque

repu-

repugnaverim, neque gravius in Tertullianum conſuluerim: nam quod in alieno fundo non licet attentare, in proprio jus; faſque eſt. Accuratum utique & fidelem ſe præbuit vetus Eccleſiæ Africanæ Canonum interpres, vix ab eâ unquam normâ diſcedens, quam in ejuſmodi tractandis rebus, ſpectandam & ſequendam declaravimus. Exemplari etiam addictum, quamquam interpunctionum retinendarum non ſatìs curioſum ſe geſſit Zacharias Papa, Gregorii Magni Dialogos Græcè interpretatus. Eutropii hiſtoriam à Pæanio Sophiſtâ (qui Eutropio ipſo non multo recentior fuit) Græcè verſam orbi literario communicavit Fridericus Sylburgius, quo labore exiguam ſuam in hiſtoricis rebus & Græcâ linguâ peritiam, tum malam Eutropio mutilando vel augendo fidem palàm prodidit Pæanius ille. Juſtiniani Inſtitutiones Græcè item retulit Theophilus Anteceſſor, eleganti quidem & eruditâ, ſed prolixiſſimâ paraphraſi: in quo Juſtiniani Imperatoris ſapientiſſimæ ſanctioni minimè paruit, quæ legum vetitis interpretationibus reliquis, ſolam eam probavit, quæ eſſet κατὰ πόδα. Hunc morem tenuerunt plerique interpretes Juris: Thalelæus in primis, vir illuſtris, & Anteceſſor, Digeſtorum interpres Græcus, Juſtiniani temporibus. Abſtinuit & ab omni licentia is qui ex ſuſcepta Codicis Græca con-

Juſtin. Præf. 2. & 3. in Pand.

ver-

verſione Κωδικεύτα cognomentum adeptus eſt. Hoc velut impoſitum ingenio ſuo frænum excuſſerunt nonnulli, excurſuſque tentarunt aliquos, perbreves licet; nondum exuta, opinor, omni adverſus Imperatoris ſanctionem reverentia: alii ſpreta lege ipſius opificis legum, in patentiſſimos paraphaſeon campos longe lateque vagati ſunt. Thalelæus ipſe liberius ſpatiatus eſt, cum Codicem verteret, Stephanus cum Digeſta, quæ contraxit in epitomen Cyrillus, Dorotheus media inter ambos via progreſſus explicavit. Codicem ad compendium contulit Theodorus Hermopolites, quem brevitate ſuperavit etiam Anatolius. Plenior utroque Iſidorus, at Thalelæo contractior. Qui Βασιλικῶν libros, Baſilii, Leonis, & Conſtantini Porphyrogenetæ, Imperatorum juſſu contexuerunt ex variis Inſtitutionum, Digeſtorum, Codicis, & Novellarum ſegmentis, interpretes haudquaquam habendi ſunt. Iis enim res propter vetuſtatem occultas eruere & explanare, vulgata exemplaria ex antiquis emendare, obſcura & ambigua planâ interpretatione declarare, non res ut erant accurate referre propoſitum fuit. Laudemus ergo eorum diligentiam, licentiam non carpamus: ſi modo licentia, non induſtria potius, hujuſmodi artificium dicendum eſt. Evulgata fuit ante annos aliquot Boëthii Librorum de Differen-
tiis

tiis Topicis priorum trium Græca quædam ab incerto auctore confiҫta interpretatio; inter optimas, & ſingularum, cum ſententiis, vocum retinentiſſimas merito ſuo à nobis commemoranda, niſi in referendis Boëthii exemplis fides ejus, vel in ipſo ſtatim operis veſtibulo defeciſſet. In eodem ſtudio ſeſe exercuit Maximus Planudes Conſtantinopolitanus Monachus, annis abhinc fermè ducentis & Sexaginta: Catonis ſiquidem Diſticha, Ovidii Metamorphoſes, & Heroidum Epiſtolas, Macrobii Commentarios in Somnium Scipionis, ejuſdémque Saturnalia, Auguſtini libros nonnullos, Boëthium De conſolatione Philoſophiæ, & alia quædam de Latinis Græca fecit, ídque valdè indiligenter, quantùm quidem ex eorum parte exiguâ, quam nactus ſum, judicium facere potui; nam & à Latinorum ſententiâ ſæpe declinat, & quæ aſſequitur, neque ſatìs preſſè, neque ſatis purâ dictione effert. Adſcribenda huic fortaſſe Græca interpretatio fragmenti cujuſdam libri Auguſtini de Trinitate, cum converſione Græca fragmenti alterius libri Hilarii de Trinitate, à Leunclavio, celatis interpretum nominibus edita. Qui in Hilario operam ſuam navavit, nihil ſibi ad ſummam interpretationis laudem reliqui fecit. Huic multùm decedit alter Auguſtini interpres, ſive verborum numerum ſpectes, ſive

ſive deſcriptionem. In convertendis porrò Auguſtini, & Richardi Florentini libris quibuſdam, ipſóque adeò (ſi modò eum, ita ut fertur, reipſâ tranſtulit) Alcorano, ſanam, adſtrictam, & caſtigatam vertendi rationem Demetrio Cydonio potiſſimùm placuiſſe, ex aliquot Thomæ Aquinatis librorum interpretationibus huic adſcriptis, quæ in hujus Bibliothecæ theſauris occultæ jacent, nobis compertum eſt. Richardi quidem illius Dominicani Confutatio Legis Saracenicæ, quam eleganter Demetrius Græco ſermone exornatam dederat, Latinè iterum pari cultu & nitore, è Græcis Demetrii, à Bartholomæo Piceno de Monte-arduo, tranſſcripta publicè extat. Thomæ vero Aquinatis Summa non Græcè ſolum, ſed Arabicè quoque & Sinicè expoſita eſt. In Theodori Gazæ interpretationibus Græcis multa eſſe, quæ meliora fieri poſſint, quædam etiam, quæ omnino mutari debeant, Joſephi Scaligeri judicium eſt, à quo quidem non recedimus: at ut meliora optavit ille, nos cupimus certè ne ab aliis interpretibus nobis deteriora contingant, parémque omnes fidem, & perſpicuitatem, adhibeant. Dubito equidem Gazæne huic, an Planudæ, an alteri ejuſdem ævi cuipiam Commentariorum Cæſaris de bello Gallico converſionem Græcam, quæ in Petavianâ Bibliothecâ

habetur, adſcribam; Cæſarem illa nonnumquam ducem deſerit, rarò tamen, & verecundè: cæterùm non impura ea, nec invenuſta. In interpretum album Gelaſium Cyzicenum non refero; quamvis enim è duobus ad Euſebii Hiſtoriam adjectis à Rufino libris non pauca in Commentarium Auctorum Niceni Concilii tranſtulerit; non tam interpretem egiſſe veriſimile eſt, quàm res tantùm quæ ad inſtitutum ſuum facerent, præcipuas ſelegiſſe. Atque hæc fere, vel non multò certè plura examini noſtro propoſita eſſe video; maxima quippe interpretationum pars, quum minime exemplaribus ipſis, quæ in noſtrâ poteſtate non ſunt, comparari poſſit, ſilentio prætermittenda eſt.

VII. De Interpretationibus Latinis, quæ è Linguis exoticis prodierunt.

Quod mihi itidem in Latinis interpretationibus, quæ è linguis exoticis profluxerunt, ſæpe faciendum eſſe video; vel ſolæ quippe editæ ſunt interpretationes, ipſa exemplaria in tenebris ſepulta manſerunt; vel evulgata ſunt exemplaria, interpretationibus neglectis; vel neutra publicam lucem viderunt. Conſtantinus putà Monachus innumera Arabum, Ebræorùmque opera Romanis auribus intelligenda propoſuit, quorum exemplaria, ſervatis converſionibus, perierunt. Athelardum quoque in transferendis Latinè ex Arabico Euclidis Geometricis, & Erichiafarim De ſeptem Planetis operam ſuam navâſſe ſcimus; cùm ſolus ad nos Euclides

Ara-

Arabicus pervenerit. Alchabitium & Alfraganum Arabicè loquentes vidimus numquam; Latinè verò, ídque horridè, & barbarè, & fide non bonâ, duodecimo poſt Chriſtum ſeculo, Johannis Hiſpalenſis ſtudio (Alfraganus autem longe melius à Jacobo Chriſtmanno; melius & à vetuſtiori interprete, cujus opus ducentis abhinc & ſeptuaginta circiter annis abſolutum ſervatur in ſcriniis Palatinis) conſcripti vulgò proſtant. Johannis Serapionis F. partem aliquam ex Arabico Latinè verſam, ſed impurè, intricatè, perplexè, & obſcurè, Abrahamo Judæo, & Simoni Genuenſi, eamdémque puriori Latinitate poſtmodùm donatam Nicolao Mutono Mediolanenſi Medico, & aliam Andreæ Alpago debemus; archetypum ipſum haudquaquam publicatum eſt. Habemus à Rodolpho Brugenſi Latinè ex Arabico relatum Planiſphærium Ptolemæi; Arabica ipſa non comparet Interpretatio. Avicennæ Cantica, ejuſdémque Libellum De viribus cordis, hunc ab Arnaldo de Villa-novâ, illa ab Armegando Blaſii Romanis verbis explicata ſtudioſi verſant, Arabicis carent. R. Samuelis librum De adventu Meſſiæ Ebraicè ſcriptum Latinæ nationi legendum propoſuit Alphonſus Bonihominis Dominicanus; exemplar non protulit. Quis noſtrûm Albumaſarem, Albategnium, Algazelem; quis Hermetem,

Bethem, Johannem Meſuam, Albulcaſin; Almanſorem, Zahelem, Raſe, Meſſahalam, Omarem; quis Arcandam, Hali Rodoham, Geberum, Alpharabium, compluréſque alios patriâ ipſorum linguâ perſcriptos unquam vidit? eorum tamen Latinæ ſunt apud nos interpretationes. Plato Tiburtinus Theodoſium Arabicè tranſſcriptum, ut Almanſorem, & alia ſileam, Latinè retulit; quâ ipſius converſione fruimur, Arabicam deſideramus. Zoharis interpretationem nuper ad Scaligerum miſi, quam is ab Ægidio Viterbienſi lucubratam fuiſſe ad me ſcripſit; Zohar ipſum è quo profecta eſt, non habemus; nam quod vulgò proſtat, anagogicam quamdam Pentateuchi explicationem, Syriacâ conſcriptam loquelâ complectitur; iſtud verò Cabaliſticam in Pentateuchum ϑεωρίαν, Ebraicè conceptam habet. Buhahylyhæ ben Gezlæ Tacuinos, Carolo Magno dicatum opus, ex Arabico à Farrago Judæo Latinè tranſſcriptum legimus, Arabica ipſa fruſtra requiras. Abrahami aben Are opuſcula nonnulla in Latinam linguam vertit Petrus Aponenſis; ſupereſt hæc illius converſio, exemplar ipſum jacet in tenebris. Teſtamentum duodecim Patriarcharum, filiorum Jacob, inepte & infabre confictum opus Latine à Roberto Lincolnenſi ut alia pleraque converſum habemus; Ebraicum exemplar, unde prodiiſſe fertur, intercidit. Davidis Armeni li-

librum De oculorum affectibus, qui ab Alcanamoſali Latinâ interpretatione adhuc ſuperſtite affectus eſt, ævi nobis abſtulit diuturnitas. Nec æquiùs cum Hali Regali Diſpoſitione actum eſt, cujus ſoli converſioni à Stephano quodam ex Arabico Latinè ſcriptæ annorum inclementia pepercit. Quid factum ſit Elluchaſemi Tacuinis, quid Abenguefiti libro De virtutibus ciborum, quem Latine explicavit Gerardus Carmonenſis, quid Jacobi Alkindi De gradibus rerum, quid Abumeroni Abenzoharis ſcriptis medicis, incertum eſt; ipſas interpretationes Latinas ex Arabicis expreſſas terunt manus ſtudioſorum. De Fidei Chriſtianæ veritate & myſteriis luculentam, ad Omarum Saracenorum Regem, Epiſtolam ſcripſit Leo Imperator, cognomento Philoſophus; eam è Græco in Chaldaicum ſermonem tranſlatam, è Chaldaico demum Latinè reddidit Symphorianus Champerius; ipſum quidem exemplar nuſpiam eſt. Miſſa veterum Chriſtianorum Angamallenſis Epiſcopatus, in Montanis Malabarici regni, Latinè expoſita apud nos eſt; Syriaca ſcriptio, unde Latina prodiit, non item. Galeno adſcriptum, De motibus manifeſtis & obſcuris opus à Marco Toletano Latinis literis explanatum proſtat; Arabica interpretatio, unde Latina profecta eſt, ab Honaino Iſaaci filio, è Græco expreſſa non apparet. Galeno

item tributus De plantis liber, Latinus ab Abrahamo medico factus, publico uſui permiſſus eſt, cùm Arabica Grumeri converſio in obſcuro deliteſcat. Themiſtii Commentariorum in libros Ariſtotelis De cœlo, interpretationem condidit Moyſes Alatinus Ebræus Spoletinus; ipſa quidem ſupereſt; Ebræa, unde exiit, quæ ex Arabicis è Græco propagatis profluxerant, interciderunt. Diſputationem quamdam adverſùs impiam Muhammedi doctrinam, Petri Abbatis Cluniacenſis juſſu, à Petro Toletano ex Arabico ſermone in Latinum traductam Petrus alter, Petri Abbatis Notarius, perpolivit. Id ita ſcriptum reliquit in Epiſtolâ ad Bernardum Clarævallis Abbatem, Alcorano præfixâ, Petrus ille Cluniacenſis: quod de Diſputatione hac adverſùs Muhammedi nugas proditum, ad Alcoranum ipſum pertinere fruſtra Scaliger exiſtimabat. Utriuſque porro; cùm archetypi, tum interpretationis libros intercidiſſe exiſtimo. Muhammedanorum Præſagium de Chriſtianorum calamitatibus, & ſuæ gentis excidio, Perſico primùm ſermone exaratum, in Latinum demum transfuſum, celato Perſico exemplari Latinè exhibuit Bartholomæus Georgievitſius. Muhammedi Turcarum Imperatoris Epiſtolæ Syriacâ, Græcâ, & Scythicâ oratione conſcriptæ Latinitatem à Landino Hieroſolymitano equite meruerunt; vul-

vulgata quidem eſt ipſa interpretatio, exemplaria in latebris condita ſunt. Sorſanus Arabs, Avicennæ diſcipulus, vitam ejus Arabicè ſcripſit; vulgari eam ſermone ſuo explanavit Marcus Fadella Damaſcenus, unde hanc Nicolaus Maſſa Latinè convertit; nos Latinis, non Arabicis, fruimur. Iſaaci liber fidei ex Judæo Romanus factus eſt; perierunt Ebraica, Latina ſervantur. Ariſtoteli adſcriptos libros quatuordecim, De ſecretiore parte divinæ ſapientiæ ſecundùm Ægyptios, ex Arabico exemplari Latinos fecit primum Moſes Rovas, tum deinde Petrus Nicolaus Faventinus; cujus opus à Jacobo Carpentario interpolatum manibus terimus; Arabico codice, Damaſceni, in quorum Bibliothecâ repoſitus eſt, potiuntur. Habetur derivata Maurolyci ſtudio ex Arabico fonte Autolyci interpretatio; ipſis Arabicis caremus. Alcorani contra (ad quem interpretandum ne quis aggrediatur, lege Muhammedanorum ſancitum eſt) comparatam à Johanne Segobienſi Cardinali, & in Baſilienſi Concilio publicatam interpretationem periiſſe puto; in meos certè oculos numquam incurrit: Arabica verò Alcorani nemini non obvia ſunt exemplaria. Nec quas itidem è compluribus & vulgatis Rabbinorum libris eduxiſſe interpretationes Conradum Pellicanum ferunt, mihi uſquam videre contigit. Sexcenta ejuſmodi

commemorare poſſum, ſed abſtineo me, ne vos tædium vincat; & hæc ſatis ſunt. Quòd ſi in manus noſtras exemplaria incidiſſent, certiora apud vos & utiliora commentandi materiam mutua eorum contentio nobis ſuppeditâſſet: nunc verò paucis iis acquieſcamus, quibus fruimur, déque iis parcè, ſtrictímque agamus. Euclidem ex Arabico vertit Johannes Campanus, circa annum Chriſti, ſi Volaterrano fides eſt, milleſimum. Arabum autem interpretationem perſecutus, fœdè perverſum nobis Euclidem reliquit. In multis Arabum convertendis voluminibus, ſed Avicennâ præſertim, horrido ſtylo, & incultâ oratione uſus eſt Gerardus Carmonenſis, nec ſatìs emendati codices ei contigerunt, & in plurimis à vero auctoris ſenſu, propter Medicæ artis & Græcæ linguæ, è quâ doctrinam ſuam Arabes hauſerunt, ignorationem, fœdiſſimè lapſus eſt; in eo tamen laudandus, quòd fideliter & adſtrictè, quæcumque aſſecutus eſt, repræſentârit. Circa ejuſdem quoque Avicennæ interpretationem deſudarunt Hieronymus Rhamnuſius, Alpagus Bellunenſis, Arnaldus de Villa-novâ, Jacobus Mantinus, & Johannes Quinquarboreus; quorum hic ex Ebræo ſua deduxit; Mantinus in tanto linguæ utriuſque diſcrimine, Arabicis non valdè diſſimilem converſionem dedit. Quæ au-

autem in Latium traduxerunt Alpagus & Arnaldus, ad archetypa, quibus caremus, expendi non poſſunt. Ipſa vero Rhamnuſii interpretatione non fruimur. Cæterum nobiliſſimo hoc Arabum Medicorum ſine controverſiâ principe futurum, ut dignam aliquando interpretationem ſtudioſus aliquis aggrediatur & ſpero, & cupio. Vix ullos Averrois Arabicos codices in Europâ reperiri poſſe putabat Scaliger, ſolámque converſionem ab Armegando Blaſii, Jacobo Mantino, Johanne Franciſco Buranâ, Abrahamo de Balmis, Vitale Niſſo, Calo Calonymo, Johanne Bruyerino Campegio, Paulo Iſraëlitâ, aliíſque adornatam in lucem veniſſe. Ego tamen his verſavi manibus Arabicum Averrois librum, ex oriente huc olim à Poſtello devectum; quod miror Scaligerum fugiſſe, Poſtello olim amicitiâ, & literariâ conſuetudine conjunctum. Eo libro continentur in Logicam, Rhetoricam & Poëticam commentaria; quæ ad Jacobi Mantini & Abrahami de Balmis interpretationem à me expenſa, fidem eorum & artem apertè mihi comprobarunt. Petri Cluniacenſis impenſis & hortatu Alcorani converſionem molitus eſt Robertus Ketenenſis Anglus, Eccleſiæ olim Pompelonenſis Archidiaconus, Hermanni Dalmatæ operâ adjutus, qui alia quoque ipſe ad Muhammedi

doctrinam & res geſtas ſpectantia opuſcula ex Arabico Latinè rependit. Ineptiſſima eſt, ut ſemel dicam, hæc Alcorani interpretatio, ſententias miſerè ſubvertens; ſtrigoſa ad hæc nonnumquam & exilis, in nimiam ſtatim molem aſſurgit, ut nemo inde Alcorani intelligentiam ſibi ſpondere queat. Id quidem ſperare poſſemus, ſi integra alterius iſtius interpretis prodiiſſet converſio, cujus Suratta prior cum Roberti & Hermanni interpretatione edita eſt; quæ an Johannis Segobienſis, alteriúſne ſit, aliorum eſto judicium. Eadem quoque à Gulielmo Poſtello, à quo è variis linguis quamplurima Latinè expoſita ſunt, in Romanum refuſa ſermonem ibidem Suratta legitur. Fidam quidem, & preſſam; doctrinæ quoque, & ingenii notis diſtinctam, at operoſam & anxiam interpretandi rationem eruditus ille vir executus eſt. Grammaticam ipſe ſuam, cui Peculium Abrahami titulus eſt, Latine vertit auctor Abrahamus de Balmis: qui cum Bombergo typographo roganti, tironibuſque adeo ipſis gratificari vellet, tam inepto ſtudio & præpoſtera diligentia literam affectatus eſt, ut inſulſiſſimam & Ebraicis ipſis obſcuriorem procuderit interpretationem, & in verborum collocatione & ſignificatione anxie laborans, ſenſus oblimaverit. Verum in progreſſu operis, velut uſum jam linguæ aliquem adeptis lectoribus, remi-

ſit nonnihil de obſcura hac & tetrica diligentia, & decori inſervire cœpit. Cum autem defeciſſet eum vita in conatu, inceptum opus ita perfecit R. Calos Calonymos, ut dum vitaret Abrahami vitia, in contraria incurreret: ſententias quippe totas, nedum verba peſſumdedit. Suam ipſe quoque Africæ Deſcriptionem Arabicam Italicè repoſuit Johannes Leo Africanus, Latinè Johannes Florianus: qua fide uterque, neſcio; ſciunt qui exemplaribus fruuntur. Sed tamen cum in res unicuique ſuas ſummam eſſe poteſtatem & arbitrium deceat, Leoni huic & Abrahamo in lucubrationibus ſuis interpretandis jure ſuo uti per nos liceat. Eliæ etiam Levitæ Grammaticos libros, R. Symeonis Logicam, R. Moſis Kimchi fratris Davidis Grammaticam, Seder Olam minus, aliáque Ebraica non pauca Latinitate donavit Sebaſtianus Munſterus, bonis literis, & ſanctæ potiſſimùm linguæ cognitione ſupra fidem excultus: quamvis autem in interpretando verbum verbo reddere ſtuduerit, Latinitatis tamen genio aſſervit quandoque, & Ebraiſmi ſterilitatem uberiori ſermone explet, nec religionem, quam requirimus, ubique curare ſe profitetur, quòd eo diſcentium foveatur negligentia; recto quidem & laudabili conſilio, modò eo in licentiam ſuam interpres non abutatur. R. Moſis ben Maimon opus aureum, cui Doctor

ctor Perplexorum nomen eſt, Latinâ loquelâ vetus interpres explanavit; huic à ſe recognito *magis curæ fuiſſe ſententias utcunque exprimere, quàm verba reddere eleganter*, prodit Auguſtinus Juſtinianus. Addemus nos, nec ſententias interpretem ſemper eſſe aſſecutum, quas ſæpe pervertit, & obſcura ac difficili, impura quoque & barbara oratione conſtringit, quaſque infinitis deturpavit mendis ſupinitas Typographorum. Ad Ebraicam interpretationem Latina hæc elaborata eſt, quæ longius propterea recedens ab Arabicis fontibus facile labem admiſit. Latinam itidem aliam quinquaginta circiter abhinc annis lucubravit R. Mantenu Italus, quæ an publicis uſibus permiſſa ſit, equidem neſcio. Verum tamen cum hæc ſatisfacere non poſſint doctorum hominum ſtudiis, futurum auguror ut egregium hunc nobilis ingenii fœtum peritior aliquis nova olim curatura excolat. Maimonidæ ejuſdem Aſtrologicâ Epiſtolâ ad Maſſilienſes, & Phyſicis R. Aben Tibbon ex Ebraico Latinè explanandis aliquam ſibi nominis gloriam peperiſſet Johannes Iſaac Levita, niſi perperam acceptâ Maimonidæ, de rectiſſimâ interpretandi ratione ſententiâ, ſimplicem Ebraiſmi formam comtæ Latinitatis ſtudio peremiſſet. In hujus Bibliothecæ vere

Auguſtin. Juſtin. Præfat. ad Steph. Ponch. præf. Duct. Perpl.

rè Regiæ forulo quodam ſolutæ, ac ſemiputridæ jacent pauculæ chartæ, in quibus eruditi cujuſdam Dominicani operâ (Richardi, ni fallor, Florentini, qui ducentos ante & quinquaginta annos, cùm in Aſiâ Linguæ Arabicæ notitiam hauſiſſet, Alcoranum à ſe Latinâ interpretatione affectum commentario illuſtravit, quem Græcè deinde Demetrius Cydonius expoſuit) Surattæ Alcorani aliquot verſæ continentur, neſcio quâ fide; nondum enim contuli, certè non ad verbum. Tobiam Ebraicè ſcriptum, ut apud Judæos hodiéque invenitur, Onkeli Paraphraſim, librum pervetuſtum Ben-Siræ, quem Jeremiæ Prophetæ nepotem eſſe Judæis falſò perſuaſum eſt, compluréſque Judæorum Magiſtros Latinè loquentes exhibuit Paulus Fagius, diligens interpres, elegantiarum, præ veritatis ſtudio, negligens, &, quantum fert Ebraicæ linguæ ſiccitas, ſatis parcus. Geſta Matthiæ Apoſtoli ex Ebræo Damnatorum libro (ſic enim inſcribitur) Romano ſermone, à Monacho quodam Trevirenſi, olim explicata ſunt. Quamvis autem Ebræo hócce careamus libro, quicum interpretatio Latina conferri poſſit, ſuum tamen convertendi modum præ ſe fert interpres, quem laxum ex ejus præfatione, & liberum,

rum quemadmodum impolitum, ex ejus lectione, & barbarum ſtilum fuiſſe ſcimus. Nec obſcurum eſt, in his opificibus, Johannis Merceri nomen; cujus præcipuè laudanda eſt remetiendorum pari numero cum ſententiæ integritate verborum ſollicitudo. Quinetiam R. Abrahami Chaijæ filii Sphæram, & R. Eliæ Miſcrachi Arithmeticarum Inſtitutionum Compendium, quæ Ebraicè, & Paraphraſim in Cantica & Eccleſiaſten, quæ Chaldaicè ſcripta eſt, Latinas fecit Oſwaldus Schreckenfuſchius, in quibus dictionum annumerandarum fides, & ſcriptionis character doctiſſimo homini parùm fuerunt curæ; ſententias tantùm eminus reſpexit. Plurimum in eadem palæſtrâ laboris ſumſit Gilbertus Genebrardus; plurimorum ſiquidem Rabbinorum libros Romanâ oratione non infeliciter expoſuit; nam niſi Latini ſermonis indoli, neglecta licet munditia verborum, cum pertinaciâ ſerviiſſet; & propterea Ebraicæ orationis ſectiones neglexiſſet, nativámque illius brevitatem extendiſſet, ejus interpretationibus poteramus eſſe contenti: Andreas Maſius vir perſpicacis ingenii, & doctrinæ ſingularis, quum Moſis bar Cepha librum de Paradiſo, Jacobitarum Liturgiam, aliáque multa è Syriaco Latinè efferret, verborum religioni ſeſe adhærere ipſâ interpretationum ſuarum inſcriptione palàm teſtatus eſt. Huc aſpi-

aſpiraverunt Jacobus Sylvius, & Andreas Veſalius, quum alter Meſuæ libros tres, alter nonum Raſe ad Almanſorem, ex Arabum fontibus deduxiſſe videri voluerunt, ſed vano conatu, nam in Arabicis penitùs peregrini, antiquas interpretationes puriori duntaxat Latinitate expoliverunt. At literariam Rempublicam, cùm beneficiis pleriſque aliis, tum Benjamini Tudelenſis Itinerario interpretando ſibi obſtrinxit Benedictus Arias Montanus; uberiori id quidem & circumfluente oratione, ſed, quæ Ebræorum jejunitas eſt, vix eorum ſententias pari verborum numero poſſis concludere. Quidni verò huic quoque albo inſcribatur præſtantiſſimi Scaligeri nomen, qui quum elegantiſſimum Proverbiorum Arabicorum libellum à me accepiſſet, converſione & notis intra has temporis anguſtias illuſtravit, quæ ne alteri ad legendum quidem ſatis fuiſſent. Geographi quoque Nubienſis partem aliquam verterat, & niſi occupationes hominem diſtraxiſſent, totum opus abſolviſſet; & nos, quâ apud eum valebamus gratiâ, magno ſtudioſorum emolumento, ut ederetur, impetraſſemus. In iis verò quàm multa didici, quæ diligentiam meam & captum fugerant; antea enim eandem mihi provinciam impoſueram, magnáque adeò pars operis peracta erat, *ſiquidem hoc erat interpretari, ad ſingulas penè voces hærere, & ibi, ubi* *Caſaub. Epiſt. 494.*
plu-

plurimùm ſapere mihi videbar, plurimùm ineptire: quum primùm autem ea ad me Scaligeri interpretatio allata eſt, tum mihimet equidem diſplicere cœpi. Ratione autem interpretandi, in Arabicis præſertim Proverbiis, utitur παχυμερεστέρᾳ μὲν; ut ait ipſe, σαφεστέρᾳ δὲ: verborum is quidem nitorem facilè adhibuiſſet, ſed non opus erat τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον; & commodo præterea meo, ac optimi Juvenis illius Fliſſingenſis, cùm eâ re, tum aliis ſemper omnibus conſulebat: cujus quum tot in me conſtent ac tanta officia, eorum alitur in animo meo, & augetur quotidie memoria; nullâ certè umquam diuturnitate extinguetur. Sed jam poſtulat tempus, ut eorum interpretum, qui de Græcis Latina fecerunt, gradus perſequamur: quam diſputationem, ſic tamquam longam ac periculoſam navigationem ingredi reformido; eæ enim viarum difficultates ſuperandæ, ea itineris emetienda longinquitas, ii etiam vitandi ſcopuli; & ſi vivos aliquos perſtrinxero, tempeſtates quoque adeundæ ſunt, ut totum hunc locum ſilentio prætermittere haud ſcio an ſatius ſit. Thv. Cave faxis, Caſaubone, rémque jam attentatam deſeras, quam integram etiam capeſſere debuiſti; ſed & jam multùm tua cymba in altum progreſſa eſt, portúmque reſpicit, & tu nauta es ſatis peritus, & quas ſubtimes tempeſtates, nos tacen-

VIII. De Latinis Interpretationibus, quæ è Græcis derivatæ ſunt;

tacendo præſtabimus. Cas. Mallem tamen hæc ſileri à me, quàm fidem & taciturnitatem veſtram experiri; ſed quando ita jubetis, conſequamur inſtitutum noſtrum. Quoniam ergo innumerabiles ſunt Latini Græcorum interpretes; in eóque potiſſimùm ſtudio eruditorum hujus memoriæ hominum ars verſata eſt, & neque ego dicendi, neque vos audiendi faſtidium ſuſtineretis, ſi hanc interpretum infinitionem perſequerer, paucos quoſdam, eóſque inſignes ſeligamus de multis, reliquos abire ſinamus indictos. Ac primum antiquis locum demus, quorum ſi omnia ad nos ſtudii hujus monumenta perveniſſent, hæc ſeſe vobis facilè probaſſet cauſa, meámque non deſideraſſet orationem: ſed cùm maximam eorum partem vetuſtas conſumſerit, neque ex Euhemero ab Ennio converſa ſuperſit Deorum Hiſtoria; neque Annales C. Acilii Glabrionis Latinis verbis repenſi à Claudio eo, uti creditur, qui Quadrigarius cognominatus eſt; neque à Siſennâ tranſlatæ Ariſtidis Fabulæ Mileſiacæ; neque Mithridatis libri à Lenæo Pompeii liberto Latinè expoſiti; neque Hyperidis pro Phryne oratio, aliæque verſæ à Meſſalâ; neque Acherii Rhetoris converſiones; neque ab Appulejo, & Mutiano, qui æqualis Caſſiodori fuit, ejuſque rogatu multa Latine vertit, è Gau-

2. Antiquis,

è Gaudentii Harmonicâ; ab eodem Appulejo & Boëthio è Nicomachi Geraſeni Arithmeticâ derivatæ interpretationes; (ſi modo interpretationes, non imitationes potius dicendæ ſunt, quod heſterno die monuimus) neque Pſeudohermetis Aſclepius, cujus expoſitionem, juxta nonnullorum ſententiam, nobis idem reliquit Appulejus; neque libri quarti Eſdræ, & Orationis Manaſſæ, apocrypharum ſcriptionum, Græca exemplaria, unde profecta eſſe Latina quæ extant, primigenia non eſſe facile poteſt demonſtrari; neque Certaminis Apoſtolici Hiſtoria Græcè ab Eutropio, ex Ebraico Abdiæ Babylonii, Latinè à Julio Africano reddita; ſi modò fabuloſi hujus operis auctor exiſtimandus eſt Abdias, & Africanus interpres, quod aliter tamen habere ſe à viris doctis jampridem animadverſum eſt; neque ab Ariſtone Pellæo Græcis literis tradita, à Celſo quodam Latinis reddita Diſputatio Jaſonis & Papiſci; neque vitæ Romanorum Imperatorum, quas è Græcis exemplaribus traductas Latinis communicavit Statius Cyrillus Conſtantini temporibus; neque Conſtantini ejuſdem juſſu Latino ſermone explicatus Euſebii liber De feſto Paſchali; neque Themiſtii in Analyticos Ariſtotelis libros commentaria, à Vegetio Prætextato converſa; neque Hegeſippus ille, cujus interpretationem in manibus habemus, quam ad

Joſe-

Joſephi exemplar ab Ambroſio accuratam volunt quidam, quibus facile aſſentior, alii à Latino ſcriptore infimæ vetuſtatis ſuppoſitam & confectam, neque Apollonii vita, quam à Taſcio Victoriano Græca loquela proditam, Latina repoſuit Sidonius Apollinaris; neque liber ille Græcus vitas Sanctorum complexus, de quo in Bibliothecâ ſuâ memoravit Photius, quíque à Pelagio Eccleſiæ Romanæ Diacono, & deinde Pontifice, interpretatione donatus eſt; nec alii ejuſdem argumenti duo, quos Latinè retulerunt Johannes & Paſchaſius, Romanæ itidem Eccleſiæ, hic Diaconus, ille Subdiaconus; neque vita Mariæ Ægyptiæ à Sophronio Hieroſolymitano Epiſcopo Græcis mandata monumentis, à Paulo Neapolitano Diacono Latinè tranſſcripta; neque à Paphnutio Abbate literis tradita Onuphrii Eremitæ vita, Anonymi cujuſdam ſtudio Latinè expoſita; neque Reſponſionem Polycarpi liber, undè quinque illa fragmenta, quæ à Feuardentio edita ſunt, Latinè repoſuit Victor Capuanus; neque antiqua illa decimi libri Ariſtotelis De animalibus converſio, quam vidiſſe ſe teſtatur Gaza; neque Evagrii ſententiæ, & Timothei Alexandrini Epiſcopi ad Leonem Imperatorem libellus, & Palladii ſcripta, à Gennadio Latinitate affecta; nec quæ ex Euſebio Cæſarienſi Latinè explicarunt Euſebius

 Vercel-

Vercellenſis, & vetus alter Opuſculorum quorumdam interpres; nec libri Ariſtotelis De interpretatione expoſitio Latina Notgeri; nec Origenis in Eſdram Homiliæ Latinè, ut & alia pleraque à Bellatore. Presbytero Caſſiodori æquali & amico refuſæ; neque Clementis Alexandrini nomine inſcripti in quaſdam Canonicas Epiſtolas commentarii, Caſſiodori hortatu in Latinum ſermonem tranſlati; neque Baſilii libellus De conſolatione in adverſis, vetuſti quidem, ſed ignoti hominis ſtudio interpretatus; neque Scribonii Largi liber De compoſitione medicamentorum, Claudii ævo Græcè editus, ſub Valentiniano Latinitatem adeptus, juxta veriſimillimam Cornarii conjecturam; neque Latina ſextæ Synodi à Leone Secundo hujus nominis Papâ fabricata interpretatio; neque Romana vetus Epiſtolarum Iſidori Peluſiotæ converſio; neque Græcus De fide liber, qui ſi ex Johannis Diaconi ſententia Rufino Presbytero, vel ex aliorum arbitrio, Pelagio tribuendus eſt, interpretationem iis ſolùm, non operis lucubrationem tribuamus; neque Pelagiæ vita à Jacobo Heliopolitano Diacono ſcripta, ab Euſtochio converſa; neque Luciani liber de Stephani Protomartyris ſepulcro, ab Avito Presbytero Hiſpano Latinus factus; neque Hermetis neſcio cujus liber De revolutionibus nativi-

tatum,

tatum, cujus Latinam converſionem fide optimâ, vel religione potiùs immodicâ compoſitam, ideóque ſubobſcuram edidit Hieronymus Wolfſius; neque Oraculum Cyrilli Carmelitæ à Caſto ejuſdem loci & ordinis monacho converſum ea fide, quæ à Joachimo Abbate commendari merita eſt; cum hæc omnia, inquam, aliáque ejuſdem modi non pauca, quæ brevitatis cauſâ prætermitto, vel in tenebris ſepulta jaceant, vel nobis ſeries annorum inviderit, nonnulla etiam quæ extare ſcimus ad hanc diem, neſcio quo adverſæ fortunæ livore diligentiam noſtram effugerint; velut ſuppoſititii Calliſthenis ab Æſopo neſcio quo elaborata, & Conſtantio Conſtantini filio dicata interpretatio, & Ægyptiorum Patrum ſententiæ ab ignoto homine Græcè ſcriptæ, à Martino Bracarenſi Græcè reſcriptæ, exiguas, quæ pervenerunt ad nos, reliquias colligamus; & à Cicerone ordiamur, qui quotieſcumque, uti jam à nobis notatum eſt, puram interpretationem aggreſſus eſt, nihil in eo genere fingi potuit perfectius. Multa quoque ex Thucydide depromta Vitis Imperatorum intexuit Cornelius Nepos, ad ſpeciem exemplaris tam ſtudioſe edolata, ut quid de eo ſperandum fuerit, ſi interpretem egiſſet, facile ex iis ſpectari poſſit, quæ cum hiſtoricum

ageret tam feliciter ab eo præſtita ſunt. Duos Compoſitionum libros in Latinum ſermonem refudit Cornelius Celſus, quos ad verbum pro virili tranſtuliſſe ſe declarat in Epiſtola ad Pullium Natalem. Declarat contra in Epiſtola ad filios Largius Deſignatianus abfuiſſe ſe ab eo more, cum Hippocratis Epiſtolam ad regem Antiochum interpretaretur. Et vero res ipſa, vel eo celante, factum prodit: ita adulteratæ interpretationis notis Epiſtola perſperſa eſt. Prodeat deinde Gellius, qui paucula quidem è Græco converſa libris ſuis intexuit, ſed unde tamen probatam ipſi interpretandi rationem facilè perſpiciamus. Loca ſunt è Platone & Ariſtotele depromta, ac Epiſtola præterea Philippi ad Ariſtotelem: quorum primum poſtremumque ea arte convertit, ut veræ id inſtar interpretationis haberi poſſit: paulo indiligentiorem in alio ſe geſſit, ſed tantum licentiæ loci brevitas dabat. Idem alibi cum proloquium verbis Græcorum definiviſſet, ab hujus definitionis interpretatione abſtinere ſe malle declaravit, quam novis uti & inconditis vocibus, quarum inſolentiam vix aures ferre poſſent. Adeo verum eſſe ſciebat, aſciſcendas ei eſſe potius peregrinas & inuſitatas voces, quicunque interpretis in ſe reciperet partes, quam monſtratum ſupra à nobis legitimæ interpretationis tramitem deſerendum. Ariſtoteli vulgo ad-

Gell. libr. 15 cap 26. libr 16 cap 8 libr. 17. cap. 20.

adſcriptum De mundo librum, quem verius Poſidonii Elementa Meteorologica appelles, Appuleji Madaurenſis induſtriæ Romana lingua acceptum refert. Plurimum illic Africanas ampullas detumuiſſe, quæque uberius ſcripta erant, coërcita, & intra anguſtias compreſſa alicubi videas; ſed & dilatata reperias quædam, ac additamentis longe quæſitis amplificata: ut non tam alienum opus vertere, quam ex alieno novum ac proprium fingere, deciſaſque ex Ariſtotele & Theophraſto lacinias in unum centonem conſuere voluiſſe videatur. Quem morem, non in hoc ſolum, ſed & in aliis etiam Ariſtotelis voluminibus exponendis ſecutum ſe profitetur, cum alibi, tum præcipuè in prima Apologia. Verum tamen cum acceſſiones aliquas & mutationes primigenium libri hujus De mundo exemplar recepiſſe ſuſpicio ſit, minime certus judicio noſtro & conſtans locus relinquitur. Quanquam in alias quoque Ariſtotelis ſcriptiones à ſe Latine converſas ſumma licentia graſſatum ſe fateatur. Commemoranda quoque eſt hoc loco jam ſuprà laudata, neque ſatìs umquam laudanda Irenæi interpretatio, non ſenſa modò, ſed verba etiam ſtudioſè retinens, quàmque ſibi, Helleniſmis, quibus ſcatet, omiſſis, & vitatâ peregrinorum vocabulorum nimiâ novitate, ob oculos proponere debet unuſquiſque, qui ad convertendos Patres ſe ac-

cingat. Intellexi ex ſtudioſis hominibus ſupereſſe ad hanc diem Epiſtolam De Polycarpi martyrio, quam ad univerſas Eccleſias ſcripſit Eccleſia Smyrnæorum, & cujus partem aliquam Hiſtoriæ ſuæ Euſebius inſeruit. Ferunt & ejus extare vetuſtam interpretationem Latinam, verum tam neglectam, & ſententiis tam parum adhærentem, ut ea carere ſine querela poſſimus. Hilarium, qui Origenis Homilias in Job, & libros in Pſalmos complures è Græco Latinè vertit, *non aſſediſſe literæ dormitanti, & putidâ ruſticorum interpretatione ſe torſiſſe, ſed quaſi captivos ſenſus victoris jure tranſpoſuiſſe*, non ut interpretem, ſed ut auctorem proprii operis hæc opera tranſtuliſſe ab Hieronymo accepimus. Idem ipſe de ſe teſtatus eſt Evagrius in Præfatione ad Innocentium, & ejus interpretationem ad exemplar perpendendo liquidè id apparet: at quamvis ſententias duntaxat quærere ſe ſignificaverit, ne integras quidem eas ſemper repoſuit. Evagrium dico, non Ponticum illum Origeniſtam, neque alterum Scholaſticum dictum, ſed eum qui Antiochenam rexit Eccleſiam, quique Antonii vitam ab Athanaſio ſcriptam Latinè vertit. Ipſum quoque examini huic ſubjiciamus Hieronymum, quo veterum nemo plura Græcorum volumina Latinis literis commendavit; nam & Didymi librum de Spiritu ſancto, & Euſebii

Hieron. Epiſt. 101. cap. 2. 3.

Chro-

Chronica, & Origenis pluſquàm ſeptuaginta Homilias, & multa de Tomis, & Theophili Paſchales Epiſtolas, & Æthici Hiſtorias (ſi Rabano Mauro fides eſt, quam ei quidem hac in parte non habeo,) & Epiphanii quoque ad Johannem Hieroſolymitanum Epiſtolam, & Evangelium ſecundùm Ebræos, & Philonis librum De nominibus Ebraicis, aliáque Latinè explicavit; ut immenſos circa Scripturæ ſacræ interpretationem exceptos ab eo labores omittam. De Vulgatâ Editione, cujus potiſſimam ei partem debemus, jam ſatìs eſt heſternâ luce diſputatum à nobis, in reliquis autem, quamvis fides ea, quam quærimus, & religio neutiquam appareat, longè major tamen elucet accuratio, quàm quis lecta illius De optimo genere interpretandi Epiſtolâ expectâſſet. Hieronymo idem tempus æmulum magni nominis protulit Rufinum Aquilejenſem, qui cùm ejus lucubrationes, liberiorémque præſertim interpretandi rationem maledictis fixiſſet, longè ipſe idem ſtadium decurrens turpiùs ſe dedit, aptiorémque ſui caſtigandi anſam Hieronymo præbuit. Plurima Græca Latinam ab eo converſionem adepta ſunt, Origenis puta opus περὶ ἀρχῶν, aliáque ejuſdem plurima, Joſephi libri De bello Judaico, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Xyſti & Evagrii ſententiæ, Pamphilus adver-

ſus Mathematicos, Clementis Romani, ut habet Gennadius, Recognitiones (quas, ut id obiter moneam, Latinè primùm ſcriptas, tum Græcè expoſitas Latinitati iterum reddidiſſe ſe ſcribit Rufinus, aliáque multa Latinorum opera eundem caſum ſuſtinuiſſe; id quod Græcis quibuſdam vidimus eveniſſe, cùm Arabicè interpretata, in Græcum rurſus ſermonem tranſlata ſunt) Apologia pro Origene, quæ Martyri Pamphilo tribui ſolet, & Euſebii Hiſtoriæ, in quibus ad inſaniam uſque ineptivit, & proceſſit extra modum profuſiſſima verbiloquentia, nonnumquam etiam totas veterum ſcriptionum partes audaci falce demeſſuit: ut paraphraſtes potius habendus ſit, quam interpres. Corruptiſſimis ad hæc nonnumquam uſus eſt codicibus, & judicio caruit critico, quo falſa à veris diſcerneret. Iiſdem circiter fuit temporibus Marius Victorinus Afer, quem Hieronymi præceptorem fuiſſe, vulgata, ſed parùm certa tamen eſt plurimorum opinio: is Porphyrii Iſagogen, præter alia, Romanâ linguâ exhibuit; cujus operis fragmenta quædam commentariis ſuis inſeruit Boëthius, nobíſque ſarta tecta ſervavit; hæc autem non tam interpretationis, quàm μεταφράσεως nomine cenſenda ſunt. Longè felicius idem labor in nobiliſſimis optimarum diſciplinarum magiſtris Latine explicandis Boëthio proceſſit; ac in

Ariſto-

Ariſtotele præſertim, cujus Organum, non eruditis ſolum Commentariis, ſed caſtigata etiam, fida, & nitida interpretatione illuſtravit. Nec multò minor veteri & optimo Juſtiniani Novellarum interpreti laus videtur eſſe contribuenda; puriorem tamen Latinitatem deſideres, quâ ſanè non multo emendatiorem præſtare poterat homo, ut nonnullis viſum eſt, Græcus. Sunt qui Bulgaro opus hoc adſcribant; diverſis interpretibus alii, ex varietate ſtili conjecturam capientes. Antiquum certe eſt, & ſuppar ævo Juſtiniani. Herennii Modeſtini libros Excuſationum, ad Ignatium Dextrum Græce ſcriptos, exiſtimant quidam Bulgarum eumdem; alii Burgundionem Piſanum Juriſconſultum annis abhinc pluſquam quingentis Romano ſermone repræſentaſſe. Oratio horrida & incomta; ſtili fœditate obtuſæ ſententiæ; præclara interim in rependendis verbis, verborumque retinendo ordine religio. At circa earundem Novellarum converſionem non eâdem fide uſus eſt Julianus interpres, Præfectus Prætorio, idémque Conſtantinopolitanæ urbis Patricius & Anteceſſor: Præfationes, & quæ ad rem minùs facerent, recidit, plurima ad arbitrium contraxit, quædam etiam nonnullis adjectis explanavit. Et tum ſâne videtur interpretis officium, nomenque ſciens ac volens deſeruiſſe: quod aliquando tuendum ſi

ſibi propoſuit, factum id ab eo eſt feliciter & accuratè, verbis pari prope verborum numero repenſis, ne ipſis quidem veſtigiis Helleniſmorum obliteratis. Orationem vero ſimplicem, neque valde elaboratam ubique adhibuit. Auguſtini æqualis fuit Marius Mercator, nobiliſſimus veterum monumentorum interpres, quæ ad Pelagii & Neſtorii cauſſam pertinerent. Verbum ſe verbo æquare ſignificat non ſemel, & res loquitur. Nonnulla tamen vel detracta offendas, vel inſerta; non tam fortaſſe culpa interpretis, ſi paucula quædam excipias, quam vitio Græcorum exemplarium, quæ videtur dies labefactaſſe. Plurima & eximia ſingularis in eâ diſciplinâ facultatis monumenta poſteris reliquit Dionyſius Exiguus, Romanus Abbas, ſententiarum explicator diligens, fidus verborum aſſectator, &, ut temporibus illis, orationis non impolitus, optimi interpretis ſpecimen propemodum abſolutum. Quòd ſi in Apoſtolorum Canonibus Latinè explicandis à calle videtur interdum receſſiſſe, ipſa codicum cauſæ fuit diſſenſio, quos hic alios ſecutus eſt, nos alios nacti ſumus. Id vel ex priſtina Conciliorum interpretatione licet exiſtimare, quam adeo perturbatam fuiſſe & confuſam teſtatur Dionyſius, ut novam inchoare utile ac prope neceſſarium duxerit. Minimè hunc æquiparat Iſidorus Mercator, locutionis caſtitate par, circa eaſ-

dem

dem ferè res verſatus, at diſpari eventu; exemplarium quippe fidem profuſâ verborum luxurie labefactavit. Artis hujus ſpecimina quædam non aſpernanda edidit Juſtiniani ætate Facundus Hermianenſis, depromtis aliquot fragmentis è libris vetuſtiorum Patrum, & Latinè à ſe redditis, ſuæque trium Capitulorum Defenſioni intextis. Verba quidem ſine ambitione retinet, colorem quoque ſine affectatione exprimit, at ſenſus religioſè ſectatur. Epiphanius verò Scholaſticus Socratem, Sozomenum, & Theodoretum Latinè exponens, nomen ſuum inter doctos traduxit; Græca ſiquidem vix aſſecutus eſt, & ſi quæ fortè intellexit, ea ne à poſteris intelligerentur, obſcurâ, barbarâ, & diſſipatâ oratione perfecit. Quod ergo, dum in epitomen à Caſſiodoro contrahitur, damnum, ut ſit, paſſus eſt, aliarumque ipſius interpretationum, quas bene multas recenſet Caſſiodorus, jacturam ſine ſtomacho feramus. Carpenda hîc obiter ſupina Honorii Auguſtodunenſis, & Sigeberti Gemblacenſis oſcitantia, qui Theodoreti, Socratis, & Sozomeni Hiſtorias ab Epiphanio Scholaſtico in Tripartitam Hiſtoriam contractas, à Caſſiodoro converſas ſcripſerunt. Platonis Timæum inani verborum pompâ & phaleris, tum temerariâ locorum complurium detractione corrupit Chalcidius. Inter præſtan-

Honor. Auguſt. de Scrip. Eccl. cap. 21. Sigeb. de Script. Ecc. cap. 40.

ſtantiſſimos hujus artis opifices: Anianum, vetuſtum Chryſoſtomi interpretem numerare ſoleo: ſimplicitatem quippe munditiis, ſenſuum fidem religioni verborum ita adjunxit, ut non alium, ipſe, ſi adſit, Chryſoſtomus ſibi interpretem deligere velit. Huic par eſſe laude videtur Urſus Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus, qui cùm Baſilii vitam ab Amphilochio ſcriptam Latinè interpretaretur, verba appendit verbis, & ordinem ordine æquavit. Diſcrimen nihilominus aliquod deinde codicum varietas invexit. Non contemnenda verò Euſtathii induſtria, à quo non invenuſtè, certè non infidè Baſilii quædam expoſita ſunt: verba tamen poterat diligentiùs retinere. In Mutio Scholaſtico, qui Chryſoſtomi Homilias in Epiſtolam ad Ebræos Latinè interpretatus eſt, ſubdititia quædam reprehendo: abſque illis eſſet, inter eximios interpretes jure poneretur. In aſſectandis verò Græcis, & quum linguarum etiam minimè ferret diſcrepantia, ad verbum referendis nimius eſt & inſolens Anaſtaſius Apocriſiarius, cujus expreſſas ex Hippolyto Portuenſi interpretationes quaſdam videre mihi contigit, nimiâ religione attenuatas: adeò certi ſunt rerum fines,

Quos ultra, citràque nequit conſiſtere rectum.

Ducentis ferè poſt annis, quàm obiit Anaſtaſius ille, claruit alter huic cognominis, Sedis Apoſto-

Apoſtolicæ, ut vocant Bibliothecarius: multa ille Græcorum volumina Latinè deſcripſit, at quamvis non κατὰ πόδα, ſed bonâ tamen fide ſenſum retuliſſe ſe ipſe ſcribat, in quibuſdam nihilominùs boni interpretis numeros omnes abſolvit; & tanta quidem religione, ut præ fidi interpretis laude, puri & caſti ſermonis decus ſit aſpernatus, & vocabula Cethegis non exaudita fingere auſus ſit: juxta ſanctionem Hieronymi, qui rebus novis nova fingere nomina interpretem jubet. *Hier. in Ezech cap. 16.* Tertius quoque Anaſtaſius quidam Gregorii Nazianzeni vitam, à Gregorio Presbytero circa annum Chriſti DCCCCXL. Græcè ſcriptam, Latinè refundens, tantâ Latini ſtili barbarie oblevit, ut elegantiorem huic & mundiorem interpretationem induere neceſſe demum Jacobus Billius habuerit. Johannis Erigenæ, in exponendo Dionyſio, induſtriam pauci omnino adæquarunt: ſtudet ille ſententiis, affectatur verba, ordinem tenet: nec pro ætate illâ barbarus eſt tamen, vel indiſertus. Origenis præterea Commentariorum in Matthæum barbaram quidem, at ſatis propemodum fidelem converſionem habemus: quæ ſi Græcis uſquequaque non reſpondet; in multis codicum differentiam, interpretis religionem in aliquibus, ſed paucis accuſemus. Huc verò puderet referre illuſtribus Dictys Cretenſis, & Daretis Phry-

gii, necnon Q. Septimii Romani, & Cornelii Nepotis interpretum nominibus venditatas nugas à Latinis hominibus, iiſque exiguæ doctrinæ, & judicii leviſſimi. Quare ab antiquis interpretibus ad recentiores concedamus. FR. Sanè quidem; verumtamen tam paucos ex omni retro antiquitate miror abs te fuiſſe collectos, niſi fortè tædio victus, & languens ex viâ, quo citiùs ad finem properares, ſarcinæ partem abjeciſti. CAS. Feci equidem, Fronto, non tam dicendi laborem reformidans, quàm auribus veſtris parcens, quamquam nec multo plures interpretes nobis memoria vetuſtatis ſuppeditat; quod ipſe equidem perſæpe miratus ſum; nam & Græca vertere in Latinum optimum factu judicâſſe veteres, & ſæpe factitâſſe tradunt Suetonius & Hieronymus; idémque porro juvenes ut facerent, adhortatus eſt Quintilianus. Cujus ſtudii cur tam pauca monumenta extent cogitanti mihi, id ſuccurrit unum, interpretationibus ipſis antelata fuiſſe exemplaria, pluríſque veritatem nudam & apertam, quàm tectam & involutam homines feciſſe. Sed cùm extremis híſce temporibus propter hominum deſidiam linguarum ſtudia refrixerint, multorúmque oculi ignoratione caligarint, plúſque in tenebris, quam in mediâ luce acie valuerint, remotâ exemplarium face, interpretationum tenebræ affuſæ

Sueton. lib. de illuſtr. Gramm. Hier. Præf. ad Euſeb. Quint. lib. 10. cap. 5.

affuſæ ſunt. Atque eâ quidem in re tam diligentem collocavit operam poſterior ætas, ut ſi de omnibus agere velim, ſim pro cerito circumferendus: ſed neque id hoc loco propoſitum eſt, neque res poſtulat; interpretandi enim rationem, non interpretum numerum diſquirimus. Ex omnibus igitur, qui innumerabiles feré ſunr, inſignes aliquot, ut dixi, generatim confectabor, à Gallis noſtris facto initio; tum producam Italos; inde Germanos appellabo; tum Belgas; pôſt Anglos; deinde Hiſpanos; reliquos demum in imâ cerâ collocabo. Hunc, ſit placet, curſum reliqua noſtra tenebit oratio. Gallorum agmen ducat Gulielmus Budæus, vir ad ſæculi ſui gloriam natus, laudibus literariis abundans, magnâque cùm propter ſingularem rerum omnium ſcientiam hominum admiratione affectus; tum ob id potiſſimùm, quòd Græcas literas ſuâ ætate intermortuas exſuſcitârit: at cùm pari felicitate Latinas arripuiſſet, ſi quando Græca Latinè expoſuit, quid in utriſque poſſet voluit oſtendere; & res illuſtrare ſplendore verborum; cumque diſerti interpretis quæreret laudem, evaſit paraphraſtes. Huic ſuccedat Johannes Ruellius, Aquila interpretum à Budæo dictus, propter adhibitam nimirum in referendis ſententiis religionem, eximiâ ſermonis elegantiâ & caſtitate conjunctam; in eo tamen culpandus,

3. *Recentioribus.*

4. *Gallorum.*

dus, quòd obſcurioribus quandoque locis vel perplexis aſcititiam commodet lucem; hoc autem explanatoris non interpretis eſſe demonſtravimus. Idem peccat aliquando, rariùs licèt, Franciſcus Vatablus, diligens cæteroquin interpres, & præ veritatis ſtudio, elegantiæ & caſtæ locutionis negligens, nonnumquam & ſubobſcurus. Iiſdem claruit temporibus Petrus Gillius, acer eorum inveſtigator, quæ occulta ſunt à naturâ, & antiquitatis literatè peritus, verùm audax in interpretationibus, detrahendo, adjiciendo, interpolando, omnia ſuſque déque miſcendo; ſtilo tamen ſuo moderatus eſt, cùm ad Theologica acceſſit, eaque caſtè & verecundè tractavit. Longè caſtigatior in convertendis Mathematicis antiquis Johannes Pena. Hi quum omnem reſpuant ornatum, quo caruit, ſatìs in eo fuit fidei, ut boni interpretis nomen tueretur. Ut autem quæ mutila vel obſcura erant, liberiore interdum converſione declarare, & quæ Græcis deeſſe videbantur, ſupplere ſe profeſſus eſt, quod candidi hominis fuit; ita ſuppoſititia hæc alio charactere depingi, vel virgulis comprehendi, vel notis inſigniri voluiſſem, quibus Græcæ Linguæ imperitus lector adventitiis genuina ſeponeret. Qui Vatablum in Ebraicarum literarum profeſſione excepit Johannes Mercerus, non abſurdè in Ori A-

pol-

pollinis & Harmenopuli interpretatione verſatus eſt; Latinè ſcribendi diligens ſine moleſtiâ venuſtas, non ubique tamen ſatis tenax, nec qualem in Ebræis reddendis adhibet verborum parſimonia. Æqualis temporum illorum Julius Cæſar Scaliger, quem in Italis natum apud Germanos eductum, ſibi tandem Galliâ vindicavit: homo diſciplinas penè omnes capaciſſimâ mente complexus, ὀψιμαθὴς licèt, ac in militaribus & campeſtribus ſtudiis toto juventutis decurſu exercitatus; ad id à naturâ factus, ut haberet noſtra ætas quo vetuſtati invidiam faceret. Is cum artes propemodum omnes ingenio fuerit pervagatus, tum eam, quæ circa auctorum interpretationem verſatur, lucubrationibus quoque ſuis concelebravit. At liber à religione verborum, ſenſa ſpectavit ſolummodò, ut hunc ejus interpretandi modum Jacobus Goupylus in omnibus non probârit. De Joachimo Perionio planè tibi aſſentior, Thuane; hæc à te quippe non minus verè de eo, quàm eleganter ſcripta ſunt; *Is cum Ariſtotelem hactenus à Johanne Argyropylo fideliter potius, quàm ornatè verſum auribus Latinis proponendum ſtatuiſſet, dum elegantioris ſtili potiùs quàm veri rationem plerumque Ciceroni ſuo addictus habet, in contrariam ab Argyropylo reprehenſionem incidit, & Nicolai Gruchii viri doctiſſimi, & poſtea Gulielmi Gueren-*

tai cenſuram expertus eſt, & *cum Ludovico Strebæo literariis velitationibus ob eamdem cauſam ſe exercuit*; & me quidem judice, infeliciter, nam in eâ aſſequendâ Ciceronis elegantiâ Strebæo, ſi fortè, ſcriptore & ipſo non impuro ſuperior, caſti & fidi interpretis laude, & Græcæ linguæ peritiâ longè inferior habitus eſt: neque verò hoc illum fugiſſe puto, ſed verborum magnificentiâ & ſermonis volubilitate eſt delectatus. Proximus his Hadrianus Turnebus, literatiſſimus, & omni laude ornatus interpres, nam & Græcè luculenter ſciebat, & Latinè ſcitiſſimè convertebat: preſſus ille & adſtrictus, ab auctore nuſquam digrediens; ſuavis interim & perlucens oratio. Copioſior paulò Dionyſius Lambinus, dum quadrandæ orationi & elaboratæ concinnitati ſtudet, hanc interpretationis ſalubritatem haudquaquam obtinuit. Non minùs quidem ornatus Marcus Antonius Muretus, ſed religioſus magis; nec caſtitati minùs quam elegantiæ aſſervit; nec ſententiam modò exprimit, ſed genus ipſum dicendi, quoad licet imitatur. Quòd ſi plura in eo genere elaboraſſet, inter multos interpretes propè ſingularis extitiſſet; ſed tantum detraxit ex gloriâ, quantum ex eo ſtudio decerpſit. Addendus huc etiam Jacobus Cujacius, ætatis noſtræ facile conſultiſſimus, illius verò artis minimè rudis. In ſexageſimo quip-

quippe βασιλικῶν libro interpretando ita verſatus eſt, ut fidei ſuæ promiſſum planè præſtiterit, neque diſciuerit à præſcripto Juſtiniani, quo leges ſuas κατὰ πόδα verti ſanxit. Aliquos præterea operis ejuſdem libros in Latinum ſermonem tranſſcriptos editurum ſe receperat; verum mors conſilium intercepit. Minimè autem iis aſſentiendum, *qui inauditâ mentiendi & falſâ fingendi licentiâ, Latinam illam Græcarum Epiſtolarum interpretationem ei adſcripſerunt, & ſub tam illuſtri nomine obſcuri cujuſdam & mediocriter docti Germani verſionem*, cæteroqui non aſpernandam, & verborum ac ſententiarum ſatis tenacem *publicârunt; quum Franciſcus Pithœus, à quo illi habuerunt, eam ſæpè mihi in Bibliothecâ ſuâ oſtenderit, & Baſileæ neſcio quo caſu ſibi repertam dixerit.* Eodem tempore Franciſcus Foxius Candalla, non tam propter generis nobilitatem, quàm ob eximiam doctrinam ſuſpiciendus, inter optimos interpretes poſitus eſt; nam quamvis in vertendo Euclide multa ſibi permiſerit, in eo tamen minimè videtur eſſe vituperandus, quòd non tam interpretandis, quàm accuratiùs demonſtrandis Euclidis Propoſitis ſtuduerit: id quod vel ex Triſmegiſti interpretatione ſatis apparet, in quâ quod carpam, nihil habeo. Eodèm quoque artificio aliquam ſibi quæſivit gloriam Gentianus Hervetus, rarò aucto- *Caſaub. Epiſt. 263.*

tæi cenſuram expertus eſt, *& cum Ludovico Strebæo literariis velitationibus ob eamdem cauſam ſe exercuit*; & me quidem judice, infeliciter, nam in eâ aſſequendâ Ciceronis elegantiâ Strebæo, ſi fortè, ſcriptore & ipſo non impuro ſuperior, caſti & fidi interpretis laude, & Græcæ linguæ peritiâ longè inferior habitus eſt: neque verò hoc illum fugiſſe puto, ſed verborum magnificentiâ & ſermonis volubilitate eſt delectatus. Proximus his Hadrianus Turnebus, literatiſſimus, & omni laude ornatus interpres; nam & Græcè luculenter ſciebat, & Latinè ſcitiſſimè convertebat: preſſus ille & adſtrictus, ab auctore nuſquam digrediens; ſuavis interim & perlucens oratio. Copioſior paulò Dionyſius Lambinus, dum quadrandæ orationi & elaboratæ concinnitati ſtudet, hanc interpretationis ſalubritatem haudquaquam obtinuit. Non minùs quidem ornatus Marcus Antonius Muretus, ſed religioſus magis; nec caſtitati minùs quam elegantiæ aſſervit; nec ſententiam modò exprimit, ſed genus ipſum dicendi, quoad licet imitatur. Quòd ſi plura in eo genere elaboraſſet, inter multos interpretes propè ſingularis extitiſſet; ſed tantum detraxit ex gloriâ, quantum ex eo ſtudio decerpſit. Addendus huc etiam Jacobus Cujacius, ætatis noſtræ facile conſultiſſimus, illius verò artis minimè rudis. In ſexageſimo quip-

quippe βασιλικῶν libro interpretando ita verſatus eſt, ut fidei ſuæ promiſſum planè præſtiterit, neque diſciuerit à præſcripto Juſtiniani, quo leges ſuas κατὰ πόδα verti ſanxit. Aliquos præterea operis ejuſdem libros in Latinum ſermonem tranſſcriptos editurum ſe receperat; verum mors conſilium intercepit. Minimè autem iis aſſentiendum, *qui inauditâ* *Caſaub. Epiſt. 263.* *mentiendi & falſâ fingendi licentiâ, Latinam illam Græcarum Epiſtolarum interpretationem ei adſcripſerunt, & ſub tam illuſtri nomine obſcuri cujuſdam & mediocriter docti Germani verſionem*, cæteroqui non aſpernandam, & verborum ac ſententiarum ſatis tenacem *publicârunt; quum Franciſcus Pithœus, à quo illi habuerunt, eam ſæpè mihi in Bibliothecâ ſuâ oſtenderit, & Baſileæ neſcio quo caſu ſibi repertam dixerit.* Eodem tempore Franciſcus Foxius Candalla, non tam propter generis nobilitatem, quàm ob eximiam doctrinam ſuſpiciendus, inter optimos interpretes poſitus eſt; nam quamvis in vertendo Euclide multa ſibi permiſerit, in eo tamen minimè videtur eſſe vituperandus, quòd non tam interpretandis, quàm accuratiùs demonſtrandis Euclidis Propoſitis ſtuduerit: id quod vel ex Triſmegiſti interpretatione ſatis apparet, in quâ quod carpam, nihil habeo. Eodem quoque artificio aliquam ſibi quæſivit gloriam Gentianus Hervetus, rarò aucto-

rem ſuum deſerens, nec verbis inops, nec eorum ambitu abjectus; in colore quoque referendo non inconcinnus. Detritus ad hæc in Patrum ſcriptis, & rei Eccleſiaſticæ ſatis peritus. Majorem tamen Græcæ Linguæ, & cæterarum quæ lingua hac continentur hiſtoriarum & artium peritiam deſideres: nam Sexti Empirici, acutiſſimi ſcriptoris, aliorumque Philoſophorum interpretationem aggreſſus, famæ ſuæ peſſime conſuluit, tot propemodum congeſtis erroribus, quot verbis. Fidem itidem ſuam interpretando præſtitit Gilbertus Genebrardus; at Latinæ linguæ caſtitati non ſatis pepercit, & aliquid argutum magis & enucleatum requiras. Minimè verò à Genebrardo dejungendus Jacobus Billius Prunæus, quicum non ſummâ ſolùm neceſſitudine, ſed hoſpitio etiam conjunctus fuit: verbis ille paribus ſententias aptè & fideliter comprehendit; ſtylo certè nonnumquam excurrit; verùm ipſe ſe intra metas continuò revocat & coërcet. Pauca quidem, ſed omnibus abſoluta numeris in eo ſtudio elucubravit Henricus Stephanus, quem planè interpretem audeas dicere: eximia in reddendis verbis diligentia; ſumma in exponendis ſententiis accuratio; mira in charactere exprimendo felicitas; inſignis ad hæc perſpicuitas, pari concinnitudine conjuncta. Hæc amore fortaſſe, ſupra id quod in illo

fuit,

fuit, vobis prædicare videor, à quo tantùm certè abſum, ut longè majora, quæ de illo commemorari poterant, prætermittam. Nomen quoque ſuum operoſâ, & triginta annorum ſtudio elaboratâ Athenæi interpretatione, immortalitati conſecravit Jacobus Dalecampius, Cadomenſis, qui quamvis verborum ſecurus, in ſententiis acquieverit, tantâ tamen eas arte ad auctoris exegit normam, ut qui utrumque contulerit, verborum fidem magnopere non requirat. Quod *ſi tantum otii* tamen, *ad hanc ornandam Spartam quotidiana huic ægrorum imperia conceſſiſſent, quantum fuit in ipſo* φιλοπονίας *& amoris erga literas; non dubitamus & meliorem & accuratiorem interpretationem potuiſſe ab eo ſperari.* Præclarè cum Hippocrate actum eſt, quum Latine eum loquentem induxit Anutius Foëſius interpres proximus optimis numerandus, & reliquis longè ſuperior, qui in eodem Hippocratis convertendi labore claruerant. In Lyſiâ quoque exponendo ita ſe geſſit Claudius Grolartus, Neuſtriaci Senatus Princeps, ut eum viſus ſit tenuiſſe modum, quem in oratorum interpretatione requiri diximus. Quæ porro minùs nobis in Theodoro Bezâ placita eſt nimia Latinitatis cura, quum ſacræ Scripturæ libros converteret, ea in reliquis ejuſdem interpretationibus, cum decenti temperatione conjuncta ſe facilè

Præfat. Caſaub. ad Animadv. in Athen.

cilè probat. Quid in eâ autem exercitatione Federico Morello noſtro præſtantius, ſincero rerum explicatore, non ambitioſo, non fucato, non turgido? Magna verò Jacobi Sirmondi, non in eâ ſolùm, quam tractamus, ſed in reliquis etiam humanioribus diſciplinis præſtantia: venuſtâ quadam & nativâ floret facundiâ, & legentium animos mirâ voluptatis ſuavitate perfundit: hanc tamen dicendi facultatem ad auctoris exemplum coërcet, plùſque interpretationis fidei, & recepto apud Chriſtianos homines verborum uſui, quàm elegantiæ ſermonis & munditiæ tribuit. Inflatior Nicolaus Rigaltius & elatior, verborum negligens laborat in ſententiis, eaſque pingui, ut ita dicam, interpretatione conveſtit. Et verò, ut ſunt ſtudia, non hoc fine ſtabit noſtrorum hominum diligentia: confluunt ad me quotidie juvenum examina, in quorum flagrantiſſimâ diſcendi cupiditate non levem ſpem collocavi: ſed ex illis potiſſimùm duo, magnâ cum excellentiâ, præſtantiâque reliquorum, velut fœcundæ arboris generoſi ſurculi in laudem patriæ ſuccreſcunt: Dionyſius alter Petavius, in veſtram, Fronto, ab annis aliquot familiam cooptatus, ad ſummam gloriam eruditionis floreſcens, exquiſitis doctrinis exaggeratus; & tamen ætatem videtis, jam inter eruditiſſimos nondum inter viros numerandus: alter

verò

verò Claudius Salmaſius Divionenſis, homo peradoleſcens, ingenio diſſimili, pari cupiditate incenſus, reconditas perveſtigans & interiores literas, tam acri & indefeſſo labore, ut ſit refrænandus à ſtudiis; vereor enim ut ſit diuturnus. Quod ſi utrique ſuppeditet vita, omnino conjecturâ ducor ad ſuſpicandum, maximum illos doctrinæ ſuæ & gloriæ lumen, ſic tamquam geminos Soles in orbem literarum illaturos. Sed cò unde deflexit, referatur oratio: hæc enim parum ad rem. Thv. Parùm ad rem, ut voles, fuerunt mihi certè jucunda; gaudeo enim, ubi in hac literarum vaſtitate adoleſcens exiſtere video, qui animum ad artes liberis hominibus dignas adjungant, nec in praviſſimam ſeſe dent juvenum nonnullorum conſuetudinem, qui inſcitiam laudi ducunt, unum id ſtudent,

aut equos
Alere, aut canes ad venandum.

Fr. Tolerabile verò id eſſet, nî hoc etiam delectarentur aucupio, quo petitæ volucris ſæpe præda fit ipſe auceps. Sed hæc mittamus: tu, Caſaubone, ad Italos te confer, niſi quid de Gallis habes ampliùs quod addas. Cas. Habeo verò, neque pauca, ſed hæc ſatis ſunt, facilè ut appareat quid noſtri in eo genere potuerint. Videamus jam de Italis, qui in eâ excolendâ arte Gallis ipſis præiverunt; nam 5. Italorum,

& an-

& annis abhinc ducentis Herodotum & Thucydidem Latinis literis exponebat Laurentius Valla, in eâ ben● & eleganter dicendi copiâ, quam totis voluminibus explicavit, inelegans tamen, & penè barbarus; Græcis ad hoc literis leviter tinctus, ad auctorum ſententias parùm attentus, oſcitans ſæpe, & alias res agens, fidem apud eruditos decoxit. Erat ejus æqualis Leonardus Brunus Aretinus, de cujus facultate præclarum erat Andronici Theſſalonicenſis judicium, verum eum quippe & fideliſſimum Græcorum interpretum ſolebat appellare, cæteros autem magis paraphraſtas; majorem tamen in eo Romani ſermonis caſtimoniam Eraſmus requirebat. Eadem quoque ætate prodiit ex Emanuelis Chryſoloræ umbraculis vir pietate juxta & doctrinâ inſignis Ambroſius Camaldulenſis, non ſatis politus, & ut vitæ inſtituto, ſic ſermone auſterus, ſtylo quandoque extra callem excurrens. At infeliciter planè provenit Lapus Florentinus, interpres non ſatis Latinus, imò vaſtus & agreſtis, verbis quidem adhærens, & indolém quoque conſectans, neutrum videtur aſſecutus. De Franciſco Philelpho ſic pronunciavit Petrus Nannius, *Franciſcus Philelphus religioſus circa verba, in reddendâ ſententiâ & indole defecit: tranſtulit Xenophontis multa, cùmque videret verborum elegantiam, verbum verbo reddere voluit, cæterùm*

Petr. Nann. in Horat.

terùm non potuit ex fide reddere, quæ in Græcis reperiebat, quod mirum in homine Græco; Græco, opinor, ſermonis Græci peritiâ, non natione; apud Tolentinates quippe natus erat. Eſt apud Jovium, hortatu Alphonſi Regis, qui eruditos hujus ætatis homines ad linguam Romanam Græciæ theſauris locupletandam liberaliter invitabat, Petrum Candidum Decembrem Appiani interpretationem Latinam ſuſcepiſſe. Abnormis illa, inficeta, inſulſa; quodque pejus eſt, infida; ſive quod laceri & vitioſi exemplaris mendas ſecutus ſit interpres; ſive quod immoderatæ ingenii & diſſolutæ libertati ſit obſecutus. Hos conſecutus eſt Angelus Politianus homo, non unus è multis, ſed cum paucis potiùs comparandus; in omni penè facultate, quæ virum eruditum deceat, ſuæ princeps ætatis, in ſcribendo verò potiſſimùm. Nam quæ vel oratione vorſa ludere, vel prorſa commentari libuit, præclaris diſtincta ſunt notis felicis & elegantis ingenii, quod non ad alieni ſtili exemplum ſerviliter compoſitum, ſed velut jugum imitationis indignans, ſuo ſibi ductu & auſpicio velificatur. Hinc adeò in interpretationibus, cum auctore ſuo non certat modò, ſed eum ſæpe etiam ſuperat; ut Eraſmus ipſe, ejuſmodi lucubrationum egregius ſpectator, ſummum eum artificem dicere non dubitârit. Id genus multorum

movit

movit approbationem; at non proinde meam; nec, ut ſpero, item veſtram: morigeram enim & ad imitandum accommodatam orationem, non circumfluentem & altiùs exaggeratam; interpretem, non oratorem poſtulamus. Multa ad hæc viro magno humanitùs excidiſſe ſi dixero, id ſocer meus ſuis in Herodiani interpretationem animadverſionibus comprobabit. Quid quod ab Angeli æmulis jactari ſolitum fuiſſe narrabat Pontifex Leo, opus hoc eſſe Gregorii Tiphernatis, atque id ex inæquali & vario orationis contextu deprehendi. Annii autem Viterbienſis, qui horum temporibus ſuppar fuit, quòque nemo otio ſuo magis in literarum perniciem, ignominiamque ſuam abuſus eſt, ſuppoſititias interpretationes ne attingamus omnino, nec in hoc luto & ſordibus pervolutemur. Ad interpretationem Polybii, viam nobis, ut ſcitis, præivit Nicolaus Perottus; hanc ejus operam pro eo ac merita eſt, in eâ Præfatione laudavimus, quæ Polybio noſtro eſt adtexta, & de prioribus ejus interpretibus, deque novâ noſtrâ converſione diſſerit. Hujus noſtræ laudationis ſumma hæc eſt, Nicolaum Perottum, literarum Latinarum, quas perdiu docuit, exquiſitè, ut illa erant tempora, fuiſſe peritum: non vulgarem præterea ejus fuiſſe induſtriam in Græcis ita vertendis, (quæ quidem intel-
ligeret)

ligeret) ut nullum perſæpe Græci idiomatis in Latinâ ejus interpretatione veſtigium appareret, quam interdum opus eſſe ἀυτηφυὲς dicas; tanto autem hominum applauſu exceptam eam fuiſſe, ut ex ejus æmulis nonnulli, quemadmodum à Paulo Jovio ſcriptum eſt, hanc Polybii interpretationem antiquiſſimam, furtoque ſurreptam exiſtimarint; Perottum tamen, meo judicio, à fidelis interpretis abſolutione tantùm abeſſe, quantum qui longiſſimè; tam levi quoque Græcæ linguæ cognitione fuiſſe imbutum, ut vix in ejus cortinâ videatur adſtitiſſe; quæ ſi ipſe de ſe ſenſiſſet, numquam hanc Interpretationem Nicolai Pontificis oratu fuiſſe ſuſcepturum. Nec feliciùs vero Georgio Vallæ labor ille ſucceſſit; nam & à Græcis diſſentit ſæpè, & quæ aſſequitur, uon raró pervertit. Marſilium Ficinum religioſum & fidelem dicit Nannius, ſummâque curâ verbis inſtitiſſe, ſententiam quoque reddidiſſe, in indole verò defeciſſe: nos aliter judicamus; nam verborum curam negligit Ficinus, ſententias dilatat nonnumquam, vel contrahit; id quod alibi ſæpe, maximè verò in Triſmegiſti interpretatione deprehendas. Hermolaus etiam Barbarus de elegantiâ ſollicitus, non tantum verbis & charaĉteri, quantum ſententiæ tribuit, & ſapori illi vernaculo & ἀυτηφυεῖ, ut ſcriptores ab eo converſi non interpretis ſermone, ſed nativo

movit approbationem; at non proinde meam; nec, ut ſpero, item veſtram: morigeram enim & ad imitandum accommodatam orationem, non circumfluentem & altiùs exaggeratam; interpretem, non oratorem poſtulamus. Multa ad hæc viro magno humanitùs excidiſſe ſi dixero, id ſocer meus ſuis in Herodiani interpretationem animadverſionibus comprobabit. Quid quod ab Angeli æmulis jactari ſolitum fuiſſe narrabat Pontifex Leo, opus hoc eſſe Gregorii Tiphernatis, atque id ex inæquali & vario orationis contextu deprehendi. Annii autem Viterbienſis, qui horum temporibus ſuppar fuit, quòque nemo otio ſuo magis in literarum perniciem, ignominiamque ſuam abuſus eſt, ſuppoſititias interpretationes ne attingamus omnino, nec in hoc luto & ſordibus pervolutemur. Ad interpretationem Polybii, viam nobis, ut ſcitis, prævivit Nicolaus Perottus; hanc ejus operam pro eo ac merita eſt, in eâ Præfatione laudavimus, quæ Polybio noſtro eſt adtexta, & de prioribus ejus interpretibus, deque novâ noſtrâ converſione diſſerit. Hujus noſtræ laudationis ſumma hæc eſt; Nicolaum Perottum, literarum Latinarum, quas perdiu docuit, exquiſitè, ut illa erant tempora, fuiſſe peritum: non vulgarem præterea ejus fuiſſe induſtriam in Græcis ita vertendis, (quæ quidem intel-
ligeret)

ligeret) ut nullum perſæpe Græci idiomatis in Latinâ ejus interpretatione veſtigium appareret; quam interdum opus eſſe ἀντιφυὴς dicas; tanto autem hominum applauſu exceptam eam fuiſſe, ut ex ejus æmulis nonnulli, quemadmodum à Paulo Jovio ſcriptum eſt, hanc Polybii interpretationem antiquiſſimam, furtoque ſurreptam exiſtimarint; Perottum tamen, meo judicio, à fidelis interpretis abſolutione tantùm abeſſe, quantum qui longiſſimè; tam levi quoque Græcæ linguæ cognitione fuiſſe imbutum, ut vix in ejus cortinâ videatur adſtitiſſe; quæ ſi ipſe de ſe ſenſiſſet, numquam hanc Interpretationem Nicolai Pontificis oratu fuiſſe ſuſcepturum. Nec feliciùs vero Georgio Vallæ labor ille ſucceſſit; nam & à Græcis diſſentit ſæpè, & quæ aſſequitur, uon rarò pervertit. Marſilium Ficinum religioſum & fidelem dicit Nannius, ſummâque curâ verbis inſtitiſſe, ſententiam quoque reddidiſſe, in indole verò defeciſſe: nos aliter judicamus; nam verborum curam negligit Ficinus, ſententias dilatat nonnumquam, vel contrahit; id quod alibi ſæpe, maximè verò in Triſmegiſti interpretatione deprehendas. Hermolaus etiam Barbarus de elegantiâ ſollicitus, non tantum verbis & charactèri, quantum ſententiæ tribuit, & ſapori illi vernaculo & ἀντιφυῆ, ut ſcriptores ab eo converſi non interpretis ſermone, ſed nativo

tio loqui videantur. Oratione non valdè quidem ſplendidâ & excultâ, ſed perſpicuâ tamen, & ad Græcum exemplar affabrè compoſita uſus eſt Nicolaus Leonicenus. In Græcis autem parùm verſatus Raphaël Volaterranus, fucatam eruditionem oſtentat, & dum interpretem ſe gerens ſupra ſeipſum aſſurgit, quæſitâ laude cecidit. Proximus hujus ætati Leonicus Thomæus, emendatus interpres, ſermonis planus, ad auctoris nutus totum ſe fingens. Uberior contrà Johannes Bernardus Felicianus, parùm preſſus, & redundans nec eam tamen, quam prolixitas quærit, perſpicuitatem conſecutus. Elegantes & comti Romulus & Pompilius Amaſæi, ſi remotis Archetypis, interpretationibus acquieſcas: quæ ſi ex adverſo contenderis, utrumque, ſed Romulum præſertim, conciſa dilatâſſe, obſcura illuſtrâſſe, diffuſa contraxiſſe, & ubique facundiæ laudi velificatum fuiſſe reperies; eâ verò uſum cautione Pompilium, ut obſcura quæque non attingeret; Lectorem tantummodò monuiſſe eorum ab aliis interpretationem peti poſſe: deerat nempe ſatis exquiſita literarum Græcarum peritia. Eximia verò Petri Victorii facultas; ad auctoris arbitrium ita ſe componit, ut mutatus, recoctus, penè alter credi poſſit; alieno ore loqui, propriamque indolem exuiſſe videatur. Magnos etiam, & Reipublicæ literariæ utiles

utiles in eadem palæſtrâ labores excepit Junius Paulus Craſſus, interpreſſion inelegans, fidus ſatis: quod enim verbis vel adjecit, vel decerpſit, id in indole & ſententiis cum lepore & perſpicuitate relatis diligentiſſimè rependit. In hac etiam diſciplinâ quid poſſet, expertus eſt Natalis Comes, & niſi φιλαυτίας vitio fuit occœcatus, ſe in aliis fortaſſe aliquem, in eâ exercitatione nullum admodum eſſe pervidit: verborum quippe & characteris ſecurus, vix obtinet ſententias. Nec incommodè verò Ariſtotelis Artem Rhetoricam in Romanum traduxit ſermonem Antonius Riccobonus: locutio emendata & Latina, aſtricta verborum comprehenſio: quod ſi auctoris ſenſa perveſtigâſſet feliciùs, propè omnino à ſummâ interpretis perfectione abfuiſſet. Plurimis quoque lucubrationibus hoc ſtudium locupletavit Petrus Galeſinius, verboſus interpres & diffuſus, neque ſatis pro Patrum, quos expoſuit, dignitate caſtigatus. Fredricus Commandinus ſummam Mathematicæ ſcientiæ peritiam, nec nòn exquiſitam Græcæ linguæ cognitionem ad convertendos hujus artis ſcriptores attulit: fidus eſt in verbis, fidiſſimus in ſententiis; nec perſpicuitatem in eo, & quantùm patitur ſcientiæ hujus tenuitas, concinnitatem deſideres. Coronam hanc claudat Julius Pacius, quem licet Vicetiæ natum potiori forſitan jure Germa-

ma-

manis, apud quos meliores vitæ ſuæ contrivit annos; vel Gallis, in quorum nobiliſſimis Academiis Jus civile diu profeſſus eſt, debeam annumerare. Hujus quamvis ſummum extet erga me & inſigne ſtudium, non verebor tamen, ne quidquid de eo dixero, vos è benevolentia potius, quam è veritate profectum exiſtimetis. In veriſſimo ille interpretandi genere verſatur; ſtilo ſuo ad auctoris exemplum moderatur; verba remetitur; paria reponit paribus; & ſi quando exactam hanc æqualitatem vel linguarum diſcrepantia reſpuit, vel Theoreticarum diſciplinarum obſcuritas, ne vel minimus lectori ſtruatur dolus, aſcititia quæque diverſo charactere inſignit, ut eum ferè ex omnibus optimum & ejus artis antiſtitem agnoſcam. Non ergò ad Itali nominis laudem conſultiùs à nobis agi poteſt, quam ſi in tantis viris finem de Italis

6. Germanorum.

dicendi faciamus. Proximos iis in dividendo Germanos poſuimus, homines ad artium omnium tractationem à naturâ ſatis quidem factos; ſed iis etiam quæ à naturâ habent non valdè magna, diuturno uſu & conſtanti meditatione excolendis & augendis gnavos, præ cæteris, atque induſtrios. Poſtquam ergo ſtudium illud interpretandi arripuit Germania, tam pertinaciter in eo ſe exercuit, vix ut ulla gens meliorem, nulla certè uberiorem interpretum fœtum tulerit. Primum ex illis

in

in ſcenam producam Johannem Reuchlinum, probabilem ſanè interpretem, & quem ad obruſſam noſtram factum dicas. Sequatur Bilibaldus Birkheimerus, numeris, ſive ῥυθμῷ ita addictus, ut dum aptè verbis ſententiam comprehendere ſtudet, veritatem nonnumquam infringat. In iis quoque numeratur Sigiſmundus Gelenius Bohemus, quo vix quiſquam pluribus hanc artem monumentis ditavit: diſertus imprimis habitus eſt & elegans; audax in conſtringendis pluribus in unum periodis, vel diſjungendis, ſenſus ſibi non ſemper intellectos ad libitum recoquit. Collatatâ quoque ſupra modum, & plenâ oratione turget Ottomarus Luſcinius, nec ſemper auctoris inciſis & membris inſiſtit: & eum tamen preſſum & attenuatum eſſe dices, præ ut quæ à Simone Grynæo, verboſiſſimo & paraphraſtæ ſimillimo interprete edita ſunt. Wolffgangus Muſculus, vir bonus, ſed Græcæ linguæ notitiâ imparatus, neque Latinâ valdè inſtructus, brevitate & nitore, ſimplicitate etiam ac fide commendatur: nam *& ea quæ intelligebat, & ea quæ non intelligebat, uti poterat, expreſſit: nihil videas illum ſtudio prætermittere, nihil alienum ſubſtituere:* *Caſaub. Præfat. ad Polyb.* cæteroquin halucinatur ſæpe, utpote earum artium rudis, quas qui colunt, eruditi appellantur. Utilem in bonis auctoribus convertendis operam navaſſent Conradi Clauſerus &

Geſnerus Tigurini, niſi eos nimia licentia extra metas abripuiſſet. Temperans & ſiccus Johannes Guinterius Andernacus interpres non aſpernandus, ſi à vitiliginibus & barbari ſermonis corruptelis caviſſet, & duriorem orationem ad Græcum exemplar flectere, & quocunque poſtulabat rerum varietas, ducere ſciviſſet. Raram quoque fidem, cum pari eloquentiâ & perſpicuitate obtinuit Johannes Langus. Elegantis verò & nitidæ Latinitatis laudem tulit Juſtus Vulteius, cui ſi paulo majorem ſtili parſimoniam, & convenientiam cum Græcis adjunxiſſet, boni interpretis adumbrationem in eo reperiſſes. Exquiſitâ linguæ utriuſque facultate præditus ad interpretandum acceſſit Hieronymus Wolffius: ſic autem de ſuo hoc artificio, vir alioqui verecundus & modeſtus prædicavit, *Nihil ferè addidi, nihil detraxi, nihil immutavi; nec modò ſententias appendere, ſed penè etiam annumerare verba, quatenus id diverſa Latini ſermonis ratio ſinit, ſum conatus.* Nihilominus tamen Henrico Stephano neutiquam omni ex parte ſatisfecit. Magna enimverò ars, & haud ſcio an omnium difficillima, quam acuto vir ingenio, elegantioribus doctrinis excultiſſimus, uno ferè hoc in ſtudio tot annos pervolutus, cùm perfectam in ſe, abſolutámque exprimere non potuerit, quodcunque illi defuit, humano id ingenio defuiſſe credendum

H. Wolff. Praf. ad Iſocr.

dendum eſt. Atque utinam parem vertendis antiquis ſtili moderationem, &, ut ita dicam, continentiam adhibuiſſet Philippus Melanchthon: quæ fuit hominis facundia, & egregia Latini ſermonis integritas, eruditos omnes, excuſſis de manibus veterum ſcriptis, ad ſui lectionem pellexiſſet. Dicendi facultate longè inferior fuit quàm Melanchthon, diffundendâ licèt oratione perſimilis Michaël Neander. Jejunior utroque & parcior Janus Cornarius, ſed Græcæ loquelæ non ſatis gnarus, neque Latini ſermonis caſtitati ſatìs conſulens, neque ad libræ æquatum examen ſatìs accuratè utrumque exigens. Hac quoque in parte diligentiam ſuam deſiderari nequaquam paſſus eſt vir de politiori literaturâ præclarè meritus Joachimus Camerarius, ſuæque adeò Germaniæ ſingulare ornamentum; caſtus ſermo & perſpicuus, & quem ſi cum Græcis contuleris, ſincerum atque ſanum, & nonniſi obſcurioribus declarandis, idque raro & leviter, excurrentem agnoſces. Neque verò ſatìs pro merito & virtutibus laudari poſſit Gulielmus Xylander, qui quatuor licèt & quadraginta vix confecerit annos, ſummam tamen utriuſque linguæ peritiam, cum elegantioris humanitatis, & Philoſophiæ, ac Mathematicæ diſciplinæ cognitione comparavit, prætioſáſque tot doctrinarum opes huic propemodum uni interpretan-

di ſtudio viſus eſt conſecrâſſe; inde factum, ut tam paucis vitæ ſuæ annis, tot ac tanta veterum ſcriptorum volumina Latinis verbis explanâverit: nam quæ vix diuturno alii labore, intra perpaucas ille horas vivido mentis acumine & innatâ alacritate profligabat. Summa præterea, quæ hominem toto vitæ decurſu miſerè torſit, egeſtas, ſponte ſuâ currentem incitabat; atque ob id, quemadmodum non irridiculè de eo, Thuane, ſcripſiſti, ſami, non famæ ſcribere exiſtimatus eſt:

Pauper, cui opera vita erat:

Ut Cæcilianum illud in ſe mirificè comprobaret,

Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.

Præcipiti autem feſtinatione, id quod properantibus ferè contingit, aliquando lapſus eſt;

ἁμαρτάνει δὲ καὶ ἀνὴρ σοφώτερος.

Ipſum porro interpretandi genus quod attinet; neque verbis, neque interpunctionibus alligatus, ſententias ſolùm intuetur. At in hoc interpretandi ſtudio mirabilis eſt Johannes Leunclavius, ut neminem in eo ſcientiùs verſatum eſſe omnino mihi conſtet: ſententias quippe ita contorquet, ut nihil intercidat; eo verborum numero circumplectitur, ut paria paribus reſpondeant: ipſam quoque vocum conſtructionem & ſitum perſæpe ita obtinet, ut color ipſe integer exiſtat:

Sum-

Summa ad hæc concinnitas, perſpicuitas, incorrupta Latinitatis caſtitas, & ipſum, quod in aliis rarò reperias, ἀυτοφυὲς: adeò ut cùm ab hoc diſceſſeritis, nemo ſit anteferendus. Quum reliquos autem aliàs ſemper ſuperare viſus ſit, tum in transferendo Xenophontis Oeconomico ſe ipſe profectò ſuperavit. In aliquo etiam numero eſt Johannes Serranus, ſed nihil ad Leunclavium: is in nobiliſſimo opere, ſententiis contentus verba deſpexit, fidelem abſque eo, & perſpicuam, quam pollicetur, converſionem præſtiturus. Memini me ſæpè ſocerum meum dicentem audire, monitum à ſe aliquando per literas Serranum, non pauca eſſe apud Platonem, de quorum interpretatione cùm eo non ſentiret, ſed ſive limæ labore offenſum, ſive ſuis delectatum, emendationis operam neglexiſſe. In vertendo Homero induſtriam ſuam conſumſit Obertus Giſanius; atque utinam ſermonis mundities ſummæ ejus fidei reſpondiſſet, interpretandorum Poëtarum egregium ſpecimen haberemus. Præclarum quoque in eâ diſciplinâ ſibi paravit nomen David Hoëſchelius, quo quum nemo eruendis antiquorum ſcriptis feliciùs incubuerit, tum in iis Latinè quandoque reponendis vix ulli primas conceſſit: quòd ſi ſententias non aliquando compleret de ſuo, quæ alioquin ejus eſt in rependendis verbis diligentia, cæterorum lu-

7. Belgarum, luminibus obſtrueret. Illuſtres quoque interpretandi arte viros Belgium tulit, Rodolphum in his Agricolam, in magnarum rerum ſcientiâ, ut temporibus illis, exercitatiſſimum, & ex optimâ Theodori Gazæ diſciplinâ exortum: Latinè loquitur, ſummo nitore floret; ſed propter plenam & diffluentem orationem, verborum & indolis referendæ laude caruit. At ſuo tandem ordine prodeat Deſiderius Eraſmus verè ſeculi ſui Phœnix; quis enim tot doctrinis cumulatus? quis tantâ muluiplicis ingenii ubertate circumfluens? quis tam portentoſæ memoriæ capacitate inſtructus? quis ſuavitate in ſcribendo, quis ſalibus & facetiis conditior? quis verò in eâ, quam habemus in manibus, convertendi induſtriâ tantâ felicitate numeros omnes abſolvit? ſententias acutè perveſtigat, dilucidè expedit; ſincera omnia, atque ſana; ſine ariditate, ſicca; ſine exilitate, anguſta; ſine exuberantiâ, aperta; ſine ſquallore, neglecta. Ad hæc pro rerum varietate ſermonem ſuum temperat: in Scripturis ſacris vel minimos apices ſummâ fide perſequitur; in reliquis pro ratâ cujuſque parte rigidam illam accurationem inflectit; ut in eo artificio unus admodùm regnum tenere videatur. Quòd ſi ceſpitavit aliquando, ut cauſantur faſtidioſi quidam & difficiles, homo fuit; ego verò, ubi plura nitent, paucis maculis non offendor.

Lo-

Locum etiam ſuum in interpretibus tuetur PetrusNannius,fidus ſententiarum explicator, εὐτυφυὴς illud mirè in ſe expreſſit. Eodem ſtudio nomen ſuum celebravit Hermannus Cruſerius, ut ipſum etiam Xylandrum ,interpretationum fide à multis ſuperâſſe credatur: verùm ita eſt, quot homines, tot ſententiæ; mihi videtur in aſſequendis Græcis titubare nonnumquam; nec cuiquam eam comprobari poſſe temeritatem reor, quâ inductus Plutarchi Vitarum ordinem commutavit; nam qui in ipſo librorum ſitu id fuit auſus, eúmne in ſententiarum, aut verborum ſtructurâ moderatiorem fuiſſe credendum eſt? Non valdè egregiam in interpretationibus operam poſuit, vir humanioribus diſciplinis abundè cæteroquin expolitus Hadrianus Junius: à Græcis quippe aberrat ſæpe, eàque diſtortâ & falſâ interpretatione adſtringit: ſexcentis quidem locis in uno Eunapii libello Criticis debet ſupplicium. Felicior ab omni laude Gulielmus Canterus, Ariſtidem ita vertit, ut non fruſtra fidem ſuam in Prolegomenis venditaſſe viſus ſit; non plus ſibi ſumſit licentiæ, quàm dabat explanata oratoris copia; Euripidem, ut in poëtis fieri amat, de verbo ad verbum extulit; & niſi Lycophronis obſtitiſſent anguſtiæ, & quæſita obſcuritas, omni eum ex parte adæquâſſet. Hujus ætate conjunctus Bonaventura Vulca-

 nius.

nius, amicus meus ſummus, plurima in eo labore ingenii ſui & doctrinæ monumenta edidit; in verbis quidem parùm ſe torquet; breviter tamen & preſsè, ſplendidè quoque ac pereleganter interpretatur; ut cùm ſcriptiones ejus perlegas, vix melius ullum interpretandi genus eſſe putes: & in eo quidem ſtudio totum ferè longiſſimæ vitæ tempus contrivit; nunc verò effœtus anteactorum memoriâ & recordatione ſeſe oblectat, &

Sicut fortis equus, ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

Notum eſt vobis illud Ennianum. De ſuâ autem interpretatione Photianâ ſic præfatur Andreas Schottus, *Elaboravi quidem, quoad ejus fieri potuit, ut ſenſa verbis comprehenſa ſequerer, & non tam verba numerarem, quàm ſenſum ex bonâ fide appenderem.* Habemus confitentem reum, ſed vir eximius

ἄλλοισιν ἐσθλοῖς τόδ᾽ ἀπωθεῖται ψόγον.

In Heinſio noſtro juvenilis quædam ſeſe effert redundantia, & ſuperfluenti in dicendo ubertate intemperantiùs nuper uſus eſt, quum Maximum Tyrium Romanâ civitate donaret; ſed hanc, uti bene ſperamus, ſtili luxuriem depaſcet maturior ætas, & ad modum redibit ſuum admirabilis hæc indoles, ſi qui illam inflat ac diſtendit æſtus, aliquando deferveſcat. Solvamus verò è Belgio, & in Angliam trajiciamus. Fr. Diſcedemúſne autem

tem inſalutato Lipſio? CAS. Bene mones, effugerat enim: & verò tam anguſtum in interpretibus locum tenet, ut facilè latere poſſit, præſertim properantes; exiguam enim duntaxat, quod ſcire poſſum, Polybii partem attigit, eam ſcilicet, quæ ad illuſtrandos ejus De Romanâ militiâ libros pertineret. Quo de opere in noſtrâ ad Polybium præfatione iis verbis locuti ſumus, quibus hominem decuit veteris amicitiæ non immemorem, & amici famæ parcentem: nunc verò, ne quid apud vos diſſimulem, parùm videtur lucubratione hac honori ſuo conſuluiſſe vir ille bonus, &, ſi verum quæritis, πάνθ' ἑλικτὰ, κοὐδὲν ὑγιές: parum ſiquidem vidit in Græcis, nec multo magis in Tacticis: in falſâ autem & abſonâ de interpretandi ratione ſententiâ hærere ſe palàm fecit, quum interpretem quemdam monitis ſuis & conſiliis juvans ſic diceret, *Exorbita igitur, & hoc erit rectam in vertendo viam tenere, viam non tenere.* Converſionem præterea ſuam, ut reliqua, ſtrigoſiore quodam dicendi genere digeſſit, quod quantumvis multorum gracilitates potius, quam ſanos & opimos corporis habitus ſectantium applauſu ſit receptum, mihi ſanè numquam probatum eſt; interciſus enim ille ſermo, & vibrantes ſententiæ ac affectata orationis tenuitas indoctorum adoleſcentium, vel imperitæ, ſi fortè, multitudinis approbatio-

Iuſt. Lipſ. in Epiſt. ad Moerentorf.

bationem commovere poſſunt; ſanis verò auribus, & veræ ac Tullianæ eloquentiæ uſu ſubactis placere non poſſunt. Quòd ſi intra Romanæ antiquitatis cancellos, & Latinorum auctorum δρύφακτα, intactis Græcis, ſeſe continuiſſet; perpaucos omnino habuiſſet pares, neminem certè ſuperiorem. Sed ad Anglos tandem pergamus.

8. Anglorum,

Vocat jam carbaſus auras.

Et primum omnium, cùm propter hominis ætatem, tum propter inſignia in rem literariam beneficia, adeamus Thomam Linacrum, quo nemo majorem orationis nitorem, caſtitatem, & condecentiam ad interpretationes contulit: quarum virtutum integritatem dum diligentiùs tueri ſtudet, fidelem verborum affectationem, rarò quidem, at aliquando tamen omiſit. Pauca ſanè, ſed ex quibus de ſingulari ipſius induſtriâ exiſtimari poſſit, convertit Thomas Morus, planè optimis interpretibus æquiparandus: ad tenue limata & nativa oratio, non inflata, non corrupta, quodcunque vult, facilè complectens, Græcæ verò tam exactâ æquilibritate reſpondens, ut

Qui utramvis rectè norit, ambas noverit.

Longè abfuit ab eâ præſtantiâ Johannes Checus Regis Eduardi præceptor: ad Græca ille parùm attentus vagatur pro libitu; ſermo interim ſplendidus, nec impurus, quod in eâ certè

certè vertendi licentiâ minimè mirandum. Hoc etiam deteriorem ſe geſſit Johannes Chriſtoforſonus; periodorum ordinem & modum confudit, nec ab ipſâ capitum diſtinctione pervertendâ manus abſtinuit; explanandis obſcuris aliena pleraque inferſit; ipſos verborum ambitus, ubi Græca deficerent, de ſuo ſupplevit; & qui quadrandæ orationi hâc mercede ſtuduit, eam tamen à barbarie non prohibuit. Extra metum quoque abiit Laurentius Humfredus, nec ſuis ipſe legibus paruit, quas tulit interpretibus, cum hoc quod tractamus argumentum erudito libello perſequeretur. Nam cum diſſolutum & intemperans vertendi genus reprehenderet; eam vero tantum verborum retinendorum curam aſpernaretur, quam & nos repudiavimus; eam nimirum quæ inſulſitate ſua & ineptiis offenderet, medium quoddam ſectatus eſt iter, quo nec ita inhæreret verbis, ut fide ſua placere poſſet; nec elegantia tamen ſua verborum jacturam ſarciret; nec in hac ſtili libertate colorem illum αὐτοφυῆ obtineret. Pluribus in Anglorum interpretationes inquirerem, ſed exiguum gens ea interpretum proventum tulit. Quin pauciores etiam ex Hiſpaniâ prodiere, inter quos Johannes Geneſius Sepulveda, cùm caſtigatam, quam commendamus, interpretationum fidelitatem repudiare ſe declarâſſet, aditum ſibi ad hujus 9. Hiſpanorum.

artis

artis perfectionem obſtruxit. Unam ſententiarum curam ac ſtudium profeſſus, reliquorúmque negligens Andreas à Lacunâ, divite eas & libero ſermonis contextu circumdedit. Petrus quoque Martinius Morentinus, dum ſtilo ſuo immoderatiùs abutitur, huic ſtudio non ſatisfecit. Rationi illi non defuit Conſalus Pontius Legionenſis, quem præſtantiſſimis fermè interpretibus conferendum cenſeo: ſermo non vitioſus, ſtilus accuratus, & ad

10. Polonorum,

auctorem accommodatus. Sterilis quoque hujus exercitationis & negligens Polonia Joſephum Struthium dedit, cùm parùm in vertendo diligentem, tum oratione corruptâ horridum & deformem. Cultior longè Joſephus Tectander florenti dictione ſententias exornavit; in iiſque defixus, verborum & characteris ſollicitudinem inſuper habuit. Neque verò ſi interpretum feraciores eæ fuiſſent gentes, operâ, hac quam mihi dicatis ad audiendum, ego diutius apud vos ad commentandum abuterer, jamdiu eſt enim cùm modum ſuum tenet iſta diſputatio. Finem ergo tandem in præſtantiſſimis illis hominibus faciamus, qui ſedibus avitis Othomanorum feritate & impiis armis expulſi humaniores literas, ipſámque adeò humanitatem in reliquam Europam invexerunt. Quum enim ut incultum, ac derelictum ſolum vepres & tribuli; ſic noſtrorum mentes fœda barbaries occupâſſet,

pâſſet, hi certo Dei, opinor, nutu atque conſilio in has illati oras, extirpatis inſcitiæ ſentibus, rudes excoluere animos, qui meliorum artium ſatu, uberrimos deinde doctrinæ fructus extulerunt: ut quæ diſciplinarum olim inventrix fuerat Græcia, earumdem foret fato quodam ſuo conſervatrïx. Primi autem Itali, quum exules tecto & laribus excepiſſent, xeniorum vicem, humanitatis ſenſus, amorem in literas, ſtudiorum rationem, & ipſam quoque interpretandi artem ab iis hauſerunt, quæ in Galliam demum, ac Germaniam, reliquàmque deinceps Europam fuere propagata. Ingrati ſimus ergo, ſi eos recenſentes, qui in hoc interpretandi artificio floruere præ cæteris; per quos potiſſimùm in eo profecimus, prætermittamus. Principem in his, cùm merito ſuo, tum ampliſſimâ dignitate locum tenet Beſſarion Cardinalis Nicenus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cujus ſingularem in convertendis Græcis, & planè admirabilem induſtriam ſi fuiſſet proſecuta poſterior ætas, & pari interpretationum ſalubritate contenta ab infræni licentiâ ſeſe abſtinuiſſet, neque linguæ Græcæ ignaros homines tam ſæpè in errorem illiceret interpretum perfidia; neque nobis in ejuſmodi libertate coërcenda, & apertiſſimâ re argumentis & exemplis demonſtranda nunc foret laborandum. Quo magis miror Georgium

gium Trapezuntium Beſſarionis familiarem & aſſeclam, tam illuſtri exemplo minimè adductum intemperantiſſimè luxuriâſſe; cùm præſertim in Phyſicis, vel Theologicis interpretandis ferè verſatus ſit; *Iſtiuſmodi quippe res*, ut Tulliano more loquar, *dicere ornatè velle, puerile eſt: planè autem & perſpicuè, docti & intelligentis viri.* Nonnunquam etiam auctorem ſuum intra eas concludit anguſtias, ut tota ejus membra recidat; quorum & ordinem quandoque audet pervertere. Nativos præterea ſenſus neque rimatur feliciter, neque polité reddit; & quibus ſolis excuſari poteſt interpretationis licentia, vel aſpernatus eſt elegantias, vel aſſequi ſe poſſe deſperavit. Eadem quoque ætas Theodorum Gazam, & Johannem Argyropylum tulit, de quorum facultate præpoſterum extat Pauli Jovii judicium: Gazæ quippe ita extollit, Argyropyli verò ita èlevat induſtriam, ut huic iſtum abſque ullâ controverſiâ anteponere videatur. Idem de Theodoro Gazâ ſenſit Eraſmus, in vertendo enim præcipuam ei laudem tribuit. Ego verò ſecus arbitror, quod ſummorum hominum pace dixerim: ut enim præcipuum doctrinæ decus Gazæ concedamus, & ſolerter excogitatis vocabulis, quibus res Latinis ignotas exprimeret, Romanam linguam locupletâſſe demus, pleraque tamen vel Latinè parùm, vel perplexè etiam, tum ſolutè,

& phalerato ſermone explanâſſe fatendum eſt: ſtrigoſior autem, ut voles, & obſoletior Argyropylus, caſtior certè & preſſior, *Ariſtotelem*, tuis enim verbis, Thuane, libenter utor, *fideliter potiùs, quam ornatè verſum auribus Latinis propoſuit.* FR. Equidem Argyropylum, interpretem fortaſſe non malum, & tolerabilem, ſed cum Gazâ minimè conferendum credideram: hic enim, aſſentiente Nannio, ſententiarum diligenter ſervavit fidem, indolem verò tantâ felicitate expreſſit, ut Græcorum majeſtas, dignitas, & affectus extent in Latinis; Argyropylus verò reprehenſus eſt à multis, nec flacceſcens ipſius oratio aſpirare ad Gazam poteſt. CAS. Pulchrè tibi conſtas, Fronto, ut eos, qui fuſum atque tractum amplexantur dicendi genus, anteponas; attenuatos verò & adſtrictos, fidos licèt, contemnas. Non efficies tamen quin major quidem eloquentiæ laus Gazæ, accuratè autem interpretandi Argyropylo debeatur. Janum autem Laſcarim in converſo Polybii, exiguo quidem, at totius operis longè difficillimo fragmento ſæpenumero demirari ſoleo, ut eorum quæ de eximiâ ipſius lucubratione in Polybio noſtro præfati ſumus, minimè nos adhuc pigeat. Quod ſi hoc non ſprevißet interpretandi munus, & excuſſo veterno, quo penè ſepultus vixit, plura ingenii ſui monumenta reliquiſſet,

Thuan. libr. 23. Hiſt.

Nann. in Horat.

biliſſima ea eſt, quâ ſanctæ Scripturæ volumina Gallico ſermone expoſuit Guiartus Molinæus. Caroli Octavi juſſu primùm & aliorum ſubinde curâ prœlo commiſſa fuit; quâ re decepti nonnulli Caroli hujus auctoritate non editam, ſed lucubratam finxerunt. Id verò quàm falſum ſit, vel ex eo manifeſtum eſt, quod ad Geneſeos caput XVI. adtexuit interpres, converſionem videlicet illam eo anno ſeſe fuiſſe exorſum, quo cæſis Chriſtianis Ptolemaidem & Tripolim Barbari diruerunt: hanc autem cladem, anno à Chriſti Natalibus octogeſimo nono ſupra ducenteſimum & milleſimum à Mulecho Sapherape Babylonio Saracenorum Soldano Chriſtianæ Reipublicæ fuiſſe illatam memoriæ proditum eſt: quâ ſcilicet tempeſtate rerum in Galliâ potiebatur Philippus Pulcher. Ejuſmodi autem eſt hæc interpretatio, ut non minùs commentarius, quàm converſio cenſeri poſſit; plurimis ſiquidem additionibus ex Petri potiſſimùm Comeſtoris Scholaſticâ Hiſtoriâ depromptis, variiſque mutationibus, & infinitis detractionibus inquinata & deformata eſt. Atque utinam nativi & ſinceri contextus diſtinctionem à commentariis editi codices & manuſcripti ita adnotatam præferrent, ut vetuſtum quoddam Bibliothecæ hujus exemplar; pauciora quippe in eâ, quamvis etiam bene multa requireremus. Proximum huic po-

nimus Johannem Clopinellum Magdunenſem, hominem, pro captu temporum illorum, non indiſertum; qui tantum in interpretandi arte conſecutus eſt, quantum Gallus homo Latinis literis non multum eruditus, omni verò bonarum artium præſidio propemodum deſtitutus conſequi potuit. Gallicas poſtmodùm res moderante Carolo Quinto, ad novam Bibliorum condendam interpretationem animum appulit Nicolaus Oreſmius Cadomenſis, Decanus primùm Rothomagenſis, tum Lexovienſis deinde Epiſcopus; quod quum Regis juſſu fuiſſet aggreſſus, Bibliàque inde Caroli Quinti fuiſſent dicta, converſionis hujus auctor ſapientiſſimus ipſe Rex habitus eſt. Plurima quoque, ejuſdem nutu, Veterum ſcripta Gallicè Oreſmius vertit; ſed fontibus, quorum aditum, propter linguarum imperitiam, ſibi præcluſum ſentiebat, relictis; è Latinis interpretationes ſuas lacunis ita derivavit, ut quæ fortè fœdatæ eſſent erroribus, non modò eas non purgaret, ſed novis etiam, ut ferè fit, acceſſionibus paſſim inquinaret. Quòd ſi ætatem tamen, quâ vixit, reſpexerimus, tantum in his eum tenebris vidiſſe, tantámque in interpretando temperantiam adhibuiſſe mirabimur; nedum ſeverè hunc & contumelioſè habebimus. Patriæ deindè Patri Ludovico Duodecimo Thucydidis & Appiani interpretationem obtulit

Clau-

Claudius Seyſſelius Epiſcopus Maſſilienſis: è Latinâ Laurentii Vallæ expoſitione exiit altera illa; ſed ita tamen illius alucinationibus ſuas ipſe adjecit interpres, & de malis Latinis Gallicè deteriùs ſcripta edidit, ut nihil pro ſano feciſſe ab eruditioribus jure merito creditus ſit. Pari acumine, pari fide, peſſima ſcilicet, Cæſaris Commentarios, & Ciceronis ſcriptiones aliquas popularibus idem ſuis interpretatus eſt. Primum ſe ad Ebraicum exemplar Scripturæ Sacræ converſionem Gallicam elaboraſſe jactavit Robertus Olivetanus: cum tamen Ebraici idiomatis notitia leviter imbutus, ſubſidium à vetuſtioribus interpretibus petiiſſe,& alienæ eruditionis gloriam in ſe derivaſſe viſus ſit. Offendit itaque ſæpiuſculé: obſoleta ad hæc oratio & barbara, quam emendare, & ad purioris loquelæ normam exigere, atque errata etiam purgare coactus eſt ſubinde Calvinus; in quo exiguam quoque reperiſſes primigeniarum linguarum peritiam. Quamobrem manus operi huic denuo admovit Cornelius Bertramus, virorum aliquot doctorum opera ſublevatus. Plus ille eruditionis ad id contulit quam ſuperiores: verba affectatur diligenter: nimio tamen ſtudio peccat nonnunquam in ſententiis, aliorumque ſublatis erroribus ſuos ipſe admiſcet. Plus ad Tacitum patrio ſermone referendum à naturâ & ſtudio inſtrumenti habuit Clau-

dius Falchetus; cujus copiam & ubertatem Tacito parum convenire qui cauſabitur, is aſſequi tantam jeiunitatem non poſſe Gallicam loquelam neutiquam videbitur advertiſſe. At ſuperiorum diligentiam, meo judicio, vicit Jacobus Amyotus, Altiſſiodorenſium Antiſtes, liberali diſciplinâ eruditus, ingenio acutus, at oratione ita ſubtilis & limatus, ut in eo primùm Gallica facundia vires ſuas experiri viſa ſit: is Plutarchum interpretatus eſt tanta ſtili amœnitate, ſed & tam integrâ, & tam raro nutante fide, ſi paucula quædam, lucis quærendæ cauſa, extrinſecus aſcita excipias; ut eorum facilè querelas poſſit contemnere, qui immenſam errorum vim bonæ frugi ſuccreviſſe criminantur. Omnium verò non ludibrio ſolùm, & cachinnis, ſed contemtioni etiam ſeſe propinavit Sebaſtianus Caſtalio, quum grave & ſerium convertendæ Scripturæ molitus opus, ſermonis intemperiem, quam in Latinâ interpretatione comparandâ ineptiſſimè exeruerat, in Gallicâ etiam inſolentiùs explicavit. In interpretationibus quoque patriâ Linguâ procudendis operam ſuam poſuit nobis antea laudatus Gilbertus Genebrardus; & in iis quidem antiquum obtinuit, eundémque ac in Latinis, de verbis licèt minùs etiam ſollicitum, ſe præbuit. Hoc quoque ſtudio præclarè honori ſuo velificatus eſt Blaſius Vigenerius, cujus facun-

facundiæ & eximiæ fidei, ſi par linguarum reſpondiſſet peritia, cum optimis interpretibus jure ſuo certaret. Facultatem itidem ſuam periclitatus eſt vir non doctrinæ ſolùm, ſed ſolertiæ etiam, humanitatis,& incorruptæ in ampliſſimo munere integritatis gloriâ florentiſſimus Matthæus Calventius: verba verbis conſentanea ut eſſent parùm curavit, ſiccúmque Senecam & conciſum exuberanti ſermonis copiâ diſtendit. Neque verò gloriam hanc quæ ex interpretandi munere exiſtit, hodiéque aſpernantur viri omni laudum genere cumulatiſſimi Gulielmus Varius, & Franciſcus Malherbæus; quorum alter poſtquam honoribus inſervire cœpit, ſummam ſibi dignitatem prudentiæ & eloquentiæ præſidio reperit; alter, quo nobili cive Cadomum Neuſtriæ ocellus gloriatur, Gallicam linguam à veteris ævi barbarie liberatam poëticis numeris, mirabili arte, & divino ingenio ita illigavit,ut non noſtrates ſolùm longe ſuperaverit, ſed veterum etiam Græcorum, Romanorúmque facultatem & gloriam adæquârit. In hoc autem transferendi labore diſſimilis utriuſque fuit ratio & inſtitutum: hic enim, dum quærit quod Aulæ placere poſſit, non ordinem, non inciſa, non verba reſpexit, totum ſe ad Gallicæ linguæ imperium finxit: ille ad auctoris arbitrium & nutum, ſervatâ tamen linguæ in-

tegritate, ſeſe preſſiùs accommodavit. Poſſum plures perſequi, quos interpretandi laude duci video; ſed maxima eorum pars peſſimæ ætatis hujus conſuetudini obſecuta, ſummâ licentiâ & leviſſimâ fide ſe geſſit, ut vix ſuum poſſit locum in interpretibus obtinere, & hæc ipſa prætereà, quæ collegi, vereor ne fuerint longiora, certè non nimis verecunda fuiſſe perſpicio: ſed ſi cum rei immenſitate comparetur oratio mea, ita brevis etiam videbitur; cauſam autem in tempus conferre conatus ſum. Impudentiæ verò crimen facilè effugiam, ſi hæc obtemperandi ſtudio à me ſuſcepta benignè interpretemini. Cùm enim vobis in re ſpiſsâ & difficili morem geſſerim, malui de pudoris mei, quàm de amoris opinione aliquid decerpi. THV. Nos verò ita te differentem audivimus, ut & de viris ætatum omnium eruditiſſimis ſummâ cùm æquitate & doctrinâ crederemus pronuntiâſſe: ſingulari autem adverſùm nos benevolentiæ diſputationis hujus ſuſceptionem tribueremus.

FINIS.

PETRI DANIELIS HUETII
LIBER DE
ORIGINE FABULARUM ROMANENSIUM,

AD

JOANNEM RENALDUM SEGRÆSIUM.

Ex Gallico Latinè reddidit

GULIELMUS PYRRHO,

Profeſſor Regius.



HAGÆ-COMITIS,
Apud ARNOLDUM LEERS, Bibliopolam.
M. D. C. LXXXII.

Digitized by Google

Nobiliſſimo, doctiſſimoque VIRO

PETRO DANIELI HUETIO,

S. P. D.

GULIELMUS PYRRHO.

EN alio vultu, alioque habitu ſeſe exhibet tuus ille de Romanenſibus fabulis fœtus, Vir nobiliſſime, doctiſſimeque, quo reconditiorem earum originem ſcientiſſime explicaſti. Vereor autem ut nova hæc veſtis è Latinis apothecis deprompta, parum decora, parumque eximio hoc doctrinæ tuæ partu digna videatur. Sed tamen cum eum ſemel, iterumque aſpexerint Franci Gallico cultu conſpicuum; vicinæ etiam nobis gentes ſuo, Reipublicæ utique Literariæ intererat Latino quoque ornatu ſpectandum prodire. Quamvis enim ex interpretatione noſtra plurimum ipſi deceſſiſſe leporis agnoſco,

malui tamen apparere decoris ſui parte aliqua multatum, quam intra linguæ noſtræ fines coërcitum, & velut latentem, populares duntaxat noſtros elegantiæ & eruditionis ſuæ teſtes habere. Nunc etſi pudet eum cultus aſcititii, ſui tamen officii eſſe intelligit redire ad patrios Lares, impoſitamque ſibi perſonam apud te excuſare. Benigne igitur accipe, Vir inclyte, munus illud noſtrum, quod licet interpolatum haudquaquam tamen aſpernaberis, quia tuum eſt. Accipe floſculos ex areis tuis natos; rivulum qui ad te, tanquam ad doctrinæ admirabilis Oceanum, unde ortus eſt, velut quodam gratiæ reddendæ ſenſu refluit: cujus Oceani fluctibus aureis poſtquam Sereniſſimum DELPHINUM, Orbis delicias, tot annos largiter perfudiſti, aquulam hanc in exteras, & ſermonis noſtri ignaras gentes derivare per te liceat. Mecum vero præclare egeris, ſi ſuſceptum à me laborem hunc, mei in immortalia ingenii tui opera ſtudii, meæ adverſum te obſervantiæ & venerationis monumentum eſſe interpretabere. *Vale.*

Cal. Mart. MDCLXXIX.

AD

AD
LECTOREM.

Ego non ita pridem, LECTOR benevole, quum Alcedonia eſſent in Scholis, ruris ſeceſſu & amœnitate perfruebar, quo animum otio aliquo reficerem, annuo labore defeſſum. Illuc mihi forte, dum curis ſtudiiſque gravioribus intermiſſis ad leviora ſtudia me confero, allatus eſt PETRI DANIELIS HUETII, non amœniorum ſolum, ſed & ſolidiorum doctrinarum patris, Libellus de Fabularum Romanenſium origine. Gaviſus ſum equidem vehementer, cùm ob viri illuſtris perpetuum in me amorem, tùm ob libri ipſius venuſtatem, rerumque quas continet ſelectiſſimarum varietatem, qua nihil fingi poteſt menti recreandæ accommodatius. Quamvis autem librum hunc olim magna cum voluptate perlegiſſem, mihi tamen identidem ſeſe offerebat nova pulchritudinis facies. Videre mihi videbar in hoc opuſculo pratulum aliquod infinita florum varietate luxurians, aut arbuſculam nanam ingenti fructuum optimorum copia ſuperbientem. Tantus in tenui labor, tan-

ta

ta variæ eruditionis ſeges hic effloreſcit. Dolui vero, pro meo literarum juvandi ac promovendi ſtudio, hoc tam amœnæ, tamque reconditæ eruditionis penu carere Gallicæ loquelæ imperitas gentes, elegantioris tamen doctrinæ cupidas. Eas itaque ad hunc participandum Latinæ interpretationis beneficio admittere conſtitui. Quæ quum mihi eâ qua potui cura perfecta eſſet, amico cuidam libri, perinde ac nos ſumus, & Auctoris admiratori ſummo relegendam, caſtigandamque tradidi. Is vero non operam modo noſtram ſuffragio comprobavit ſuo, ſed eam etiam ut in publicam lucem ederem, ita ut apud me decoctum erat, magnopere mihi auctor fuit. Fovere igitur, Lector erudite, libello hoc; ſi fontem ſpectes, magno; ſi rivum, meam dico interpretationem, tenui ſane: quanquam poſt probatam meam ab annis viginti in his mitioribus literis publice tradendis facultatem qualemcunque, aſſiduamque publicæ utilitati conſulendi cupiditatem, non omnino contemnendo. Vale.

PETRI DANIELIS HUETII
LIBER DE
ORIGINE FABULARUM ROMANENSIUM
AD
JOHANNEM RENALDUM SEGRÆSIUM.

ÆQua eſt tua petitio mi, Segræſi; & qui Fabularum, quas Romanenſes vocant, componendarum artem tam perfectè planèque calles, te ſanè decet earum originem velle cognoſcere. Sed vereor ut id pariter me ſuſcipere deceat; cùm quod nihil ferè librorum habeo, aliiſque in rebus diverſiſſimis totus ſum; tum quòd etiam non ignoro quantis hæc indagatio difficultatibus ſit implicata. Nihil eſt, quod quis ſperet, ſe aut in Provinciâ Romanorum, aut in Hiſpaniâ, ut multi putant, hujus ludicræ hominum in honeſto otio viventium, occupationis prima initia poſſe invenire. In *Operis Præfatio.*

Re-

Regionibus aliis, iiſque longinquioribus, imo & in ipſâ antiquitate ab his temporibus remotiſſima, ea inveſtiganda ſunt. Quod tamen à me expetis, id præſtabo: Ut enim pro veteri noſtra arctaque familiaritate, omnia à me petendi tibi jus ac poteſtas eſt, ſic nulla mihi relinquitur quicquam tibi denegandi libertas.

Fabulæ Romanenſis definitio & finis.

Olim fabularum Romanenſium nomine, non eæ tantùm, quæ ſolutâ, ſed & ſæpius quæ ſtrictâ oratione ſcriptæ fuerant, continebantur. Giraldus ejuſque diſcipulus Pigna in ſuis tractatibus de Fabulis hujusmodi nullas alias agnoſcunt, Boïardumque & Arioſtum velut certa harum exemplaria proponunt ad imitandum. Sed uſus contrarius hodie invaluit; & Fabulæ Romanenſes propriè dici poſſe mihi videntur, *Hiſtoria ficta amatoriorum caſuum, proſa oratione ex arte conſcripta, ad voluptatem & utilitatem legentium.* Hiſtorias fictas appello, ut à veris hiſtoriis diſtinguantur. Addo caſus amatorios: amor enim præcipuum Fabulæ Romanenſis argumentum eſſe debet. Proſâ ſcriptæ ſint, oportet, quò meliùs ad hujus ætatis uſum videantur accommodatæ. Certâ quadam arte, & ex quarundam regularum obſervatione componendæ ſunt, alioqui rudis erit & indigeſta moles. Quod finem ſpectat, qui potiſſimus aut eſt, aut eſſe debet; & quem in animo habere debent

bent hujuſmodi fabularum artifices, ipſa eſt legentium ad virtutem informatio; quibus ſemper virtus præmiis ſuis decorata, vitium meritis ſuppliciis affectum decet exhibere. Ut enim homo, quæ ejus natura eſt, ſuopte ingenio abhorret à documentis, nimiumque ſeſe amans diſciplinæ ac rationis detrectat imperium, eum voluptatis illecebris pellicere neceſſe eſt, & præcepta ſeveriora jucundioribus exemplis condiendo, quod in ipſo emendandum eſt, id in alio condemnare. Ita lectoris oblectatio, quam Fabulator acutus, velut finem ultimum ſpectare potiſſimum videtur, finis tantum eſt ſecundarius primario ſubſerviens; qui in eo poſitus eſt, ut doceat animos moreſque corrigat. Atque eo magis Fabulæ illæ Romanenſes ex artis legibus elaboratæ dicendæ ſunt, quò magis aut minus ab hac & definitione & fine diſcedunt. De his tantum tecum agere ſtatui, quod ego exiſtimem te nihil ulterius expetere.

Non hîc igitur ſermo mihi eſt de fabulis Romanenſibus Poëticè ſcriptis, & longè minùs de Poëmatis Epicis, quæ præterquam quòd verſibus adſtricta ſunt, habent adhuc, unde à Fabulis Romanenſibus quàm maximè differant: quamvis magna inter ea affinitas intercedat, fabulatoreſque in poëtarum numerum adſcribendi ſint, ſi poëta magis dicendus poëta eſt ob figmenta, quæ invenit, quàm

De quibus præſertim fabulis Romanenſibus agatur?

quàm ob carmina, quæ componit, prout ſtatuit Ariſtoteles, & ante hunc Plato, cujus autoritati Horatius, Plutarchus, & Quintilianus ſubſcribendum eſſe cenſuerunt. Docet Petronius poëmata explicari debere per circuitus grandes, non ſine Deorum miniſterio, verbisque ac figuris liberis & audacibus, adeo ut oracula potius habeantur quodam animi furentis impetu edita, quàm fidelis & accurata narratio. Fabulæ Romanenſes plus habent ſimplicitatis; ſublimitatis verò & figurarum minus, ſive inventionem ſpectes, ſive verba. Poëmata etſi veriſimilia, majorem conſectantur ſpeciem admirabilitatis: Romanenſia figmenta plus præ ſe ferunt veriſimilitudinis, etſi nonnunquam habent aliquid admirabilitatis. Poëmata certis quibuſdam legibus magis illigata ſunt, & in ipſâ operis diſpoſitione magis caſtigata, & in hæc quoque materiæ, eventuum, & epiſodiorum minus cadit, quàm in Romanenſes fabulas, quæ cùm minus habeant ſublimitatis ac ornatus, aciem ingenii minus intendunt, mentemque pluribus rerum diverſarum imaginibus recipiendis parem relinquunt. Denique poëmata non in amore, niſi aliquam occaſionem fors objiciat, ſed in rerum bellicarum aut politicarum tractatione verſantur: ſecus verò de Fabulis Romanenſibus, quarum totum artificium, non in factis militaribus aut politicis, niſi

Hinc excluduntur Poëmata epica.

niſi caſus aliquis inciderit, ſed in amore tractando conſumitur. Romanenſes intelligo ad normam exactas: nam opera id genus vetera, Gallica, Italica, Hiſpanica, plus habent bellicarum rerum, quam amorum. Unde Giraldus in eâ fuit ſententiâ, ut fabulas haſce dictas putaret Romanenſes à vocabulo Græco *ῥώμη*, quæ *vis* & *fortitudo* eſt; quòd ejus generis libri ad vim tantùm & fortitudinem heroum quos Paladinos vocant, oſtentandam elucubrati eſſe videantur. Sed ut ex operis hujus ſerie intelliges, ſua in hoc Giraldum fefellit conjectura.

Neque verò hîc etiam comprehendi debere arbitror hiſtorias illas, in quibus multa vana & ficta ſunt. Ejuſmodi ſunt hiſtoriæ Herodoti & Cteſiæ, Navigatio Hannonis, vita Apollonii à Philoſtrato compoſita; & vitæ Sanctorum virorum, quarum veritatem Symeon Metaphraſtes, quum aſcititiis ornamentis illuſtrare tentaret, obſcuravit. Hæc opera, ſi rem ſpectes univerſam, vera ſunt: ſi partes quaſdam, falſa: contrà Romanenſes fabulæ, ſi partes aliquas penſites, veræ ſunt; ſi ſummam operis, falſæ. Veræ aliæ ſunt, falſitate conditæ: falſæ aliæ, veritate illuminatæ. Ita nempe ſtatuo, in his hiſtoriis veritatem, in fabulis verò Romanenſibus adeo potiorem eſſe debere falſitatem, ut hæ & ſummatim & particulatim falſæ omnino eſſe queant.

Et hiſtoria figmentis aſperſa.

Tradit Ariſtoteles Tragœdiam, cujus argumentum notum eſt, & ex hiſtoriâ ductum, quum ad veriſimilitudinem magis accedat, perfectiorem eſſe eâ, cujus argumentum novum & planè confictum eſt; hanc tamen ultimam non plane improbat. Cujus ſententiæ cauſam hanc affert, quod argumentum tragœdiæ, etſi ex hiſtoriâ deſumptum eſt, pleriſque tamen ſpectatoribus ignotum ſit, ac proinde novum, nec minorem interim omnibus afferat delectationem. Idem ſentiendum eſt de fabulis Romanenſibus; hac tamen adhibita diſtinctione, quòd univerſa argumenti alicujus inventio in his Romanenſibus, quarum actores (ut in fabulis Comicis) ſunt mediocris fortunæ, magis toleranda ſit, quàm in tragicis illis, in quibus perſonas agunt ipſi Principes, populorúmque domitores, quorum caſus illuſtres ſunt ac memorabiles: nec enim credibile eſſet, eventus inſignes hominum ignoratione fuiſſe conſepultos, & ab ipſis Hiſtoricis omiſſos neglectóſque; & veriſimilitudo, quæ in hiſtoriâ nonnunquam deſideratur, in fabulæ Romanenſis natura plane ſita eſt. Adeo ut, quemadmodum Hiſtoricis tribui poteſt, id quod Muſæ de ſe ipſis dictitant apud Heſiodum, quum ſe dicendæ veritatis gnaras eſſe gloriantur; ita & Fabulatoribus tribui poſſit id quod eædem adjiciunt, ſe exponendorum

dorum ſimilium veritati mendaciorum eſſe peritas.

Ex hoc etiam Romanenſium Fabularum numero expungendas eſſe arbitror quaſdam hiſtorias, ſeu totum opus, ſeu partes contempleris, planè commentitias, & ad ſupplendam tantùm veritatis inopiam excogitatas. Hujuſmodi ſunt fictitiæ illæ origines multarum gentium, atque etiam maximè barbararum. Hujuſmodi & hiſtoriæ ab Annio Viterbienſi Monacho tam craſſo mentis ſtupore ſuppoſitæ, omnium ut Doctorum aut indignationem aut contemptum ſibi conſciverint. Inter hæc & Romanenſes Fabulas talem ineſſe puto differentiam, qualis eſt inter eos; qui, quò ſibi cæteriſque voluptatem pariant, larvas induunt; & inter ſceleratos iſtos, qui mortuorum aut abſentium nomina & veſtimenta ſibi adſciſcentes, in eorum bona fortunáſque quodam ſimilitudinis dono graſſantur. Hinc quoque Mythologorum Fabulas rejicimus. Romanenſes quippe rerum, quæ potuerunt eſſe nec fuerunt; at fabulæ illæ rerum, quæ nec fuêre, nec eſſe potuêre, figmenta ſunt.

necnon & hiſtoriæ planè commentitiæ.

& fabulæ Mythologorum.

Sed poſtquam inter nos convenit, de iis ingenii monumentis, quibus Fabularum Romanenſium nomen propriè contribuendum eſt, harum inventionem Orientis Populis acceptam referri debere pronuntio. Ægyptios, Arabas, Perſas, Syróſque intelligo. Id procul

Fabulæ Romanenſes ab Orientis Populis ortæ.

cul dubio fateberis; quum tibi plerosque ex his, qui inter priſcos Fabulæ Romanenſis artifices laudatiſſimi extitêre, ab illis Populis originem traxiſſe probavero. Clearchum, qui ſcripſerat amatorios libros, tulit Cilicia Syriæ vicina Provincia. Jamblichus, qui amatoriam de Rhodane & Synonide hiſtoriam concinnavit, parentibus Syris prognatus, apud Babylonios educatus eſt. Heliodorus, qui de Theagene & Charicleâ Romanenſe opus contexuit, natus Emiſæ eſt, quæ Urbs Phœnicum erat. Lucianus, qui Lucii in aſinum metamorphoſin commentus eſt, patriam habuit Samoſatam, Comagenæ Regionis Syriæ Metropolin. Achilles Tatius, à quo Clitophontis & Leucippes amores accepimus, Alexandriâ Ægyptiacâ erat oriundus. S. Joannis, qui nobis Fabuloſam Barlaami & Joſaphati reliquit Hiſtoriam, natalibus ſuperbit Damaſcus, Syriæ Caput. Eadem Urbs quoque civem habuit Damaſcium, qui libros quatuor commentis non ſolùm incredibilibus, ut ipſe inſcripſerat, ſed rudibus & inſulſis & ab omni veriſimilitudinis ratione alieniſſimis refertos, ut Photius tradit, ediderat. Ex tribus illis Xenophontibus, Romanenſium Figmentorum Scriptoribus, alter Antiochiam Syriæ Urbem, alter verò Cyprum inſulam finitimam eidem Regioni natalem agnoſcit. Ita ut terræ illæ Romanenſium natale

tale ſolum Fabularum potiori jure appellandæ ſint, quàm Græcia, in quam fuêre tantùm tranſlatæ; ſed fœcundum ac idoneum nactæ ſolum, altiſſimas egerunt radices, mirificéque adoleverunt.

Et certè vix credi poteſt, quàm Poëtico, quàm prompto ad fingendum, quàm fabulis dedito ingenio ſint hæ Gentes. Figuris perſperſi ſunt cuncti eorum ſermones: nonniſi per allegorias animi ſenſa expromunt: eorum Theologia, Philoſophia, & præcipuè eorum ſcientia Moralis & Politica ſub fabularum, parabolarúmque involvuntur integumentis.

Figmentorum & figurarum amantes Ægyptii.

Signa Ægyptiorum Hieroglyphica ſatis arguunt, quàm impenſè hæc Natio myſteriis ſtuderet. Cuncta ferè apud illos ſub alienâ ſpecie prodibant, & rerum omnium per imagines exprimendarum conſuetudinem, in artem converterant. Eorum Sacra quodam quaſi velamine tecta; profanis, niſi ſub fabularum velo non aperiebantur, & tum demum velum detrahebatur, ſi quos, qui ſuis myſteriis initiarentur, dignos reputabant. Homerus, qui apud illos peregrinatus fuerat, hinc retulit ingenium illud fabuloſum, cujus vi non modò Poëmata admiranda, quæ poſteris reliquit, ſed etiam in Deorum Græcorum hiſtoriâ nova plurima adinvenit; & illic quoque ad ſummum illud Poëtices culmen

feliciter aſcendit, quam ibi ſemper præſtantiſſima quæque ingenia accuratiùs excoluerunt. Græcos ab Ægyptiis ſuam Theologiam Mythologicam mutuatos eſſe tradit Herodotus, & quanquam ipſe eſt credulo & dedito fabulis ingenio, fabulas quaſdam, quas à Sacerdotibus Ægyptiorum acceperat, ſic tanquam ineptias refert. His tamen ineptiis ſua inerat gratia, ac (ut teſtatur idem Herodotus) aptiſſimæ erant delectandis movendiſque animis Græcorum, nationis diſcendi cupidæ & rerum novarum amatricis.

Et profectò ab his Sacerdotibus Pythagoras, & Plato, quum Ægyptios adierunt, Philoſophiam ſuam quaſi ſub alienis & aſcititiis veſtimentis occulere, & velut quibuſdam myſteriorum umbris atque involucris obtegere didicerunt. Atque animus idem, eadem rerum exponendarum ratio apud hoſce populos hodieque vigere fertur. Enimverò ſi de Nili exundationis cauſâ; ſi de Pyramidum antiquitate, aliiſque rebus ſuæ Regioni propriis & ſingularibus eos conſulueris, nihil tibi præter meras fabulas reſpondebunt. In Urbe Memphi fons eſt amantium, plurimis eorum fabulis celebratus. Per hujus maximæ Urbis compita canunt atque agendo exprimunt Ægyptiorum & Arabum prælia, ut ſemper circulatores fuerunt & agyrtæ. Sed veritatem tot commentis adulterant, vix ut

quiſ-

quiſquam verum à falſo poſſit internoſcere.

Arabes ſign. eniorum quoq; Poetices & parabolarum amantes.

Quod ſpectat Arabas, ſi eorum opera propiùs inſpexeris, nihil in iis præter metaphoras quaſdam altiùs accerſitas, nihil præter ſimilitudines & figmenta reperias. Hoc ſtyli quaſi filo conſutus eſt eorum Alcoranus. Id ita à ſe factum cauſatur Mahometes, eum ut homines poſſent ediſcere faciliùs, difficiliùs obliviſci: & ut ait etiam Deum, cujus ſe nuntium eſſe jactabat, homines per parabolas alloqui, in hoc ejus imitationem affectaſſe videtur. Tanto jampridem fabularum amore flagrant iidem Arabes, ut unus ex antiqui Teſtamenti Prophetis eos meritò hoc nomine cenſuerit eſſe notandos. Æſopi Fabulas in patrium ſermonem verterunt, & ex iis nonnulli ſimiles compoſuêre. Locmanus ille toto Oriente nominatiſſimus, non alius fuit, quàm Æſopus. Hujus fabulæ, quas Arabes in amplum volumen collegerunt, & in quod ideo multum de ſuo contulerunt, tantum exiſtimationis & gloriæ apud illos ipſi peperêre, ut in quodam capite, quod Locmani nomine hanc ob rem inſcribitur, ejus ſcientiam magnificè prædicet Alcoranus. Vitæ Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum gentis hujus, totæ ſunt plenæ fabularum. Apud eos eſt quædam familia Philoſophorum, qui ut clariora proponant dogmata, ea ſe ſub parabolis ſimplicibus, familia-

ribus, & ad populi captum accommodatis explicaturos eſſe profitentur, hujúſque ſectæ originem quibuſdam ex Prophetis ſuis veteribus adſcribunt. Alii inter eorum Philoſophos abſtruſiſſima Doctrinæ ſuæ myſteria evolvere aggreſſi, ea ad Fabularum Romanenſium formam effinxerunt. Hujus generis eſt hiſtoria Haii filii Yocdani. Avicenna, qui repertor ejus fuiſſe traditur, quum probare vellet, quem progreſſum homo ſolo rationis lumine naturali illuſtratus, ſine præceptorum, ordinis, & artis adjumento in Philoſophiâ facere poſſet, fingit hunc Haïum ex terrâ ſine ullo parentum conſortio natum eſſe in Inſulâ deſertâ, ſub Æquatore ſitâ, quibuſdam tantùm animalibus habitata (Avicenna quippe & alii ita naſci poſſe homines autumant) eum deinde à caprâ lactatum eſſe, & rara felicitate ingenii, tum & obſervando & meditando cognitiones omnes, quæ Philoſophiæ ſtudio comparari poſſunt, gradatim eſſe aſſecutum, & tandem ad Dei Summique Boni notitiam, & ad ſublime contemplationis genus perveniſſe. Hoc totum opus variis eventis Romanenſibus, quæ referre ſuperſedeo, exhilaratum eſt: opus certè laudabile, ſed longe adhuc laudabilius, ſi commentum ipſum nimia & quaſi projecta non deformaſſet fingendi licentia, & ni Haïus ultra omnem veriſimilitudinis modum ſuâ diſputatione

non

non proceſſiſſet. Poëticam Arabes in deliciis habent: maxima quæque ingenia hoc ſæpius paſcuntur ſtudio, cui ſermones patrii & conſervationem & decus deberi arbitrantur. Neque verò nova in iis eſt hæc ad Poëticam indoles; ſiquidem longè ante Mahometen viguit, & Poëmata habent ipſo antiquiora. Omnes eorum doctrinæ tunc temporis carminibus continebantur; in quorum condendorum arte ſummum eruditionis genus poſitum eſſe cenſebant. Hæc opera inter pretioſiſſimos quoſque theſauros aſſervabant Principes: hæc eadem memoriter omnes ediſcebant, & ingenium in his fundendis facile ac felix, velut certiſſimum Nobilitatis pignus habebatur. Quod ſi una ex eorum tribubus Poëtam aliquem tuliſſet, eam cæteræ honorificè inviſebant, tantum ipſi ornamentum gratulaturæ. Vi bellorum, quæ iis in conſtituendâ ſuperſtitione Mahometanâ exhaurienda fuerunt, ardor ille tantiſper relanguit, ſed poſt reportatas victorias magis exarſit. Auctor eſt Erpenius non tot in reliquo orbe terrarum, quot in unâ Arabiâ Vates extitiſſe. Sexaginta numerant, qui velut Poëtices principatum tenent, quique ſibi ſubditas regunt ingentes Poëtarum catervas. Horum peritiſſimi luxerunt amores in Eclogis, & quædam eorum hac de re monumenta in occidentem penetrarunt. Plerique Califarum Poëſin ſuâ induſtriâ & majeſtate indi- *Califæ etiam Poëtices ſtudioſi.*

gnam non reputarunt. Quædam adhuc verſuum ab ipſis compoſitorum volumina conſervantur. Abdalla inter alios in hoc genere laudis excelluit; librúmque, ut teſtatur Elmarinus, De Similitudinibus conſcripſit. Alius totum Alcoranum verſibus ſimiliter deſinentibus concluſit. Tam larga Poëtis rependebant prœmia, ut horumce Califarum unus verſus ſeptuaginta, ſibi placitos totidem drachmarum dono remuneratus ſit. Ex Arabibus, meo quidem judicio, verſuum ſimili ſono concludendorum artem accepimus, & verſus Leoninos ad verſuum Arabicorum ſpeciem effictos fuiſſe mihi probabile eſt. Hoc verſuum genus non videtur in Europâ viguiſſe, antequam Taricus & Muça in Hiſpaniam irruperint: at ſeculis ſequentibus multa hujuſmodi opera viſa ſunt, quamvis non difficili negotio poſſem oſtendere, Romanis Veteribus non planè fuiſſe incognita, iſtámque verſuum conſonorum ſimilitudinem non ſemper iis eſſe improbatam.

Ex Arabibus nata eſt ars verſuum ſimili ſono concludendorum.

Perſæ jucunda illa mentiendi arte Arabibus non conceſſêre: etſi enim mendacium olim valde accerſabantur in vitâ civili, nihilque ſeverius ſuis liberis interdictum eſſe volebant, mendacio tamen (ſi figmenta mendaciorum nomine appellari queunt) in libris & in ipſo literarum uſu mirum eſt, quantum delectarentur. Nemo ab hac re diſſentiet, qui ſemel

Perſæ figmentorum apologorum pariter, & poëſeos amantes.

Legiſ-

Legiſlatoris eorum Zoroaſtri eventa fabuloſa legerit. Autor eſt Strabo illorum doctores præcepta moralia figmentis involuta ſuis diſcipulis tradere ſolitos eſſe. Cyrus eorum imperii conditor apud Herodotum apologo utitur, cum Jonum, Æolúmque oratoribus reſpondet. Alter ex illorum Regibus cum morti eſſet proximus, liberoſque ſuos ad concordiam moriendo hortaretur, ſimilitudinem deduxit ex faſciculo ſagittarum, quas nullus fregiſſet, niſi ſeparatas. Alibi Strabo memoriæ prodidit antiquis Perſarum, Medorum & Syrorum hiſtoriis fidem facilè derogari; quòd qui eas concederent, ii naturali narrandarum fabularum cupiditate tenerentur. Quippe quum viderent eos, qui in iis ſcribendis totam artem & induſtriam ſeſe impendere profitebantur, ad hominum exiſtimationem pervenire, ſibi perſuaſère narrationes falſas atque confictas cum voluptate lectum iri, ſi ad hiſtoriæ ſpeciem & ſtylum accederent. Æſopi fabulæ ita eorum ſapiebant palato, harum ut autorem civem ſuum eſſe jactarint. Ille idem eſt Alcorani Locmanus, de quo egi ſuperiùs, qui ab omnibus Orientis populis tanti habitus eſt, ut ejus natalium honorem Phrygiæ eripere ac ſibi vindicare tentarint. Ajunt quippe Arabes hunc Hebræorum gente fuiſſe procreatum. Perſæ negant, eúmque Æthiopem fuiſſe contendunt, (id quod Æſopi nominis Ety-

Etymologia confirmare videtur) eúmque aſſerunt vitam exegiſſe Caſſuvini, quam Urbem multi credunt fuiſſe Arſaciam antiquorum. Et hoc quidem nixi fundamento nonnulli, quum cernerent vitam ejus à Mircondo compoſitam, cum vitâ Æſopi, quam Maximus Planudes nobis reliquit, magnam habere cognationem; quúmque ut Angeli Locmano ſapientiam impertiuntur apud Mircondum, ita & Mercurium Æſopo fabulam apud Philoſtratum impertiri obſervaſſent, ſibi in mentem induxerunt, Græcos ab Orientis gentibus Locmanum ſumſiſſe, & ex eo Æſopum ſuum, ut ita dicam, finxiſſe. Non hîc locus eſt hujus quæſtionis altiùs excutiendæ. Obiter tantùm dicam horum Orientis populorum hiſtorias ex mendaciis, maximam partem, eſſe conflatas; ipſos verò parum diligentiæ ac fidei habuiſſe: ſatis eſſe veriſimile eos, quum de fabularum & autore & originibus diſputarent, hac in re, ut in cæteris omnibus fuiſſe fabuloſos; Græcos in Chronologiâ, hiſtoriáque, majoris fuiſſe & induſtriæ & fidei, eámque ſimilitudinem, quam Mircondi Locmanus cum Æſopo Planudis & Philoſtrati habuit, non magis evincere Locmanum eſſe Æſopum, quàm Æſopum eſſe Locmanum. Perſæ ſapientis cognomento Locmanum ornaverunt, quia revéra Æſopus in ſapientum albo numeratus eſt. Eundem

rei

rei Medicæ ſecreta quæque abſtruſiſſima reperiſſe ajunt, ipſúmque in hac ſcientiâ arcana admiranda, & inter alia hominum à morte ad vitam excitandorum artem inveniſſe. Ita ejus fabulas expoſitionibus omnis generis illuſtrarunt atque auxerunt; ut, id quod Arabes fecerant, ex iis ampliſſimum volumen, cujus exemplum in Bibliothecâ Vaticanâ cernitur, contexuerint. Uſque in Ægyptum & Æthiopiam ejus fama pervaſit, ubi ipſius & nomen & ſcientiam tantâ omnes veneratione proſequuntur, eum ut Perſæ ibi natum eſſe crediderint. Nec minùs illum venerantur Turcæ hodierni; eúmque, ut Mircondus & Arabes, Davidis temporibus vixiſſe autumant. In quo, ſi verè is Æſopus exiſtimandus, & ſi Græcorum Chronologiæ fides aliqua habenda ſit, quadringentorum & quinquaginta circiter annorum ſpatio à rei veritate recedunt: ſed in his Turcæ non ita ſunt ſcrupuloſi. Hoc quidem potiori jure conveniret Heſiodo, qui Salomonis ætate floruit; quique primus, ut Quintilianus, Plutarchúſque cenſent, gloriari poteſt, ſe earum fabularum, quarum inventio Æſopo tribuitur, modum & rationem excogitaſſe. Poëta nemo eſt tam effrænis in mendacio audaciæ, quem non ſuperent Perſæ recentiores in ſcribendis hiſtoriis, & in iis præcipuè rebus, quæ ad religionem, aut ad ſuæ gentis Sanctorum vitas

Perſæ mendaciis addicti.

vitas

vitas pertinent. Hiſtorias ipſas, quarum veritas Græcorum & Romanorum teſtimonio nobis explorata eſt, ita ſuis mendaciis deformarunt, vix ut agnoſci queant. Quinetiam ab hoc laudabili odio, quod aliàs adverſus homines in rem ſuam mentientes tam juſtè ſuſcipiebant, degenerantes, id ſibi hodie pulcherrimum, honorificentiſſimúmque eſſe ducunt. Suas habent Romanenſes fabulas, ſuóſque Heroas fabuloſos, ut & ipſi noſtros habemus. Amores & facta bellica illuſtris Ruſtani, & Isfendiari hiſtoria, apud eos magis, quàm apud nos Herculis, Rolandi, & Amadiſſorum res præclare geſtæ celebrantur. Nadarus Hariti filius, quum ex Perſide veniſſet, hæc ſuorum acta Arabibus nimiâ exaggeratione oſtentaturus, hoc nomine notatus in Alcorano eſt atque damnatus. Vaſtus ille Tauri montis aditus, quas antiqui Portas Caſpias appellarunt, uno gladii, ſecundum eos, à Mortis-Allyo impacti ictu ad aperiendam Maris Caſpii viam patefactus eſt. Ita ut inter montis Mimantis rupes, quà Smirnâ Epheſum itur, clauſtra ſunt à S. Paulo uno enſis impetu reſerata, ſi fidem habeas incolis & indigenis, qui Perſis ipſis ſunt mentiendi facilitate non impares. Qui gigantem Arneoſtum, talique gigante dignam conjugem, & Principis Piskitonii, quem vixiſſe fingunt annos ter mille circiter & quingentos, facta ad-

admiranda ignoraverit, eum neceſſe eſt in hujus gentis hiſtoriis parum eſſe verſatum. Opera urbanitatis amoriſque plena, & hiſtoriæ amatoriæ Perſarum veterum non minùs celebres fuêre, quàm recentiorum. Toti ſunt in amore poëſeos: hac & Proceres & populus delectantur: Hæc ſi deeſſet convivio, pars optima deeſſet. Quamobrem vatibus omnia plena ſunt, iiſque inuſitato veſtium genere inſignibus. Ex libris Perſicis Turcæ prima fortitudinis, amoris, & urbanitatis elementa hauriunt: ii in Palatio Turcarum Imperatoris ſumma cum curâ legendi proponuntur ephebis junioribus, quos educant in ſpem fortunæ majoris: & ad propoſita in iis exempla ſubinde componunt, totoſque ſe amori aut bello tradunt, quamvis eos alioqui fabulæ illic natæ, & ut ita dicam indigenæ non deficiant. Rolandum Turcam fuiſſe jactant: ejus enſem Pruſæ ſingulari cum cultu aſſervant, ſingulàſque ejus vitæ partes, & ingentia, quæ in Oriente patravit, facinora commemorant.

Perſæ Poëſeos amantiſſimi

Indi etiam Perſis vicini eo erant ingenio, ut figmentis fabuloſis, poëticis & Romanenſibus magnopere ducerentur. De eorum verſibus, cantilenis & hiſtoriis amatoriis multa narrant Peregrinatores. Celebris quoque Locmani nomen iis cognitum eſt; & ut apud Perſas Arabàſque, ita & apud eos, hæc eſt fœcunda fabularum ſeges. Eum prædicant eſſe fra-

Indi fabularum, parabolarum & poëſeos ſtudioſi.

fratrem Rami, quem inter nobiliſſimos ſuos Legiſlatores præcellentem Cœli & Divinitatis honore donarunt. Eum ſanctum fuiſſe fingunt bellatorem, & Regem quarundam Amazonum, quas in Indiâ verſus ſeptentrionem locant. Chriſtiani Indi regionis Malabaricæ vitam & laudes S. Thomæ ſui Apoſtoli verſibus compoſitas jam à multis ſeculis canunt, ſed ab iis, quæ ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ diſcimus, longè diſcrepantes. In Sinenſibus, Japonenſibus aliiſque harum terrarum populis ſimile prorſus viget ingenium. Poëtis, poëmatis & fabulis abundant: ſuæ ſunt illis comœdiæ, ſuique comœdi. Apologorum apud Sinenſes tam familiaris uſus in ſermonibus quotidianis percrebuit, ut aliam omnem congreſſûs rationem, velut agreſtem & ſtupidam exſibilent. Refert Diogenes Laërtius Gymnoſophiſtas ſuam Philoſophiam per ænigmata tradere ſolitos. Reperiuntur etiamnum in Indiâ vetuſtiſſimi Phyſicæ libri verſibus conſcripti. De rebus quibuſcunque majoris momenti ad politicam Moralemque Philoſophiam ſpectantibus per parabolas diſputant. Sandaber librum hac de re elaboraverat, quem Judæi Græcique in ſuum quiſque ſermonem converterunt, quique in eruditiorum horum bibliothecis reperitur. Aaronis cujuſdam Parabolas Indicas, Æthiopicas, & Judaicas ſe in lucem editurum eſſe promiſerat Gaulminus.

Mini-

Minime is quidem liberavit fidem: at credibile eſt hunc librum cum reliquâ ipſius Bibliothecâ in regiam Bibliothecam eſſe tranſmiſſum. Bramini Barthrouherri Proverbia, quæ Gallico ſermone expreſſa legimus, ſunt dicta ſententioſa, imaginibus maximam partem veſtita, verborúmque & figurarum pigmentis illuſtrata. P. Poſſinus ſocietatis Jeſu, ſuo Pachymeri, quem Romæ nuper typis mandavit, Dialogum addidit de variis moralis Philoſophiæ quæſtionibus; inter Abſalonem Indorum Regem, & Gymnoſophiſtam quendam, qui per Parabolas tantùm & fabulas, inſtar Æſopi, animi ſui cogitata explicat. Hujus libri præfatio docet, eum à ſapientiſſimis doctiſſimíſque gentis hujuſce viris eſſe elucubratum, & in publicis regni tabulis diligentiſſimè fuiſſe conſervatum; Perzöen Choſröis Perſarum Regis Medicum ex Indico eundem ſermonein Perſicum; alium ex Perſico in Arabicum, & Simeonem Sethum ex Arabico in Græcum convertiſſe. Amicus quidam meus eum ex Græciâ Græcè tranſlatum attulit, mihíque humaniſſimè communicavit. Choſröes ille, Anuſervanus in Græcâ interpretatione, & ab Arabibus autoribus cognominatus, imperatoris Juſtiniani temporibus regnavit, amavit literas, doctus habitus eſt, librôsque complures externos patrio ſuo ſermone juſſit explicari. Hunc li-

brum inter & alium, Indi Pilpæi nomen in fronte præferentem, & à quibuſdam annis Gallicè redditum, tam parum diſcriminis intercedit, ut dubitare nemo poſſit, quin vel primarium illud ſit exemplar, aut ab eo certe expreſſum, aut potiùs quin uterque liber unum quid & idem eſſe videatur. Quippe Pilpæus ille è Brachmanibus unus fuiſſe traditur, qui in magnarum rerum conſilium admiſſus, & regni Indici, regnante Rege Dabchelimo, adminiſter factus, omnia ſcientiæ moralis & politicæ myſteria hoc libro complexus eſt; quem librum Indorum Reges quaſi locupletiſſimum ſapientiæ & eruditionis theſaurum conſervandum eſſe cenſuerunt; hujus fama, quum ad Anuſervani Perſarum Regis aures pervaſiſſet, hunc eò impulit, ut occultis artibus, & ope ſui medici eum tranſcribi, & in Perſicam linguam verti curaverit. Califam Abujafarum Almanzorem deinde ajunt, hunc librum ex idiomate Perſico Arabicè reddi juſſiſſe, alium ex Arabico in Perſicum denuò vertiſſe, póſtque has Interpretationes Perſicas, aliam elaboratam eſſe à ſuperioribus diverſam, ad quam tamen Gallica interpretatio ſit exacta. Tot ſanè converſiones hujus operis, cui nihil Perſæ comparari poſſe arbitrantur, excellentiam ſatis arguunt. Sed multas inde, eáſque magni momenti mutationes paſſum eſt. Laudatus à me

ſupra

ſupra Poſſinus in ſua interpretatione Latinâ quaſdam ſe fabulas recidiſſe fatetur; inque Gallicâ, Pilpæi nomine inſignitâ, inveniuntur plurimæ, quas Simeonis Sethi interpretatio Græca non attingit. Et certè ſi quis Brammonis & Bremavii, quos Indi gentis ſuæ auctores credidêre, ſi quis eorum ſtirpis & familiarum hiſtoriam evolverit, non aliis ſibi approbari volet argumentis quam propenſo ſit ea gens in fabulas animo. Eò igitur me adduci facilè patior, ut exiſtimem Horatium, quum Hydaſpen, cujus fons in Perſide, in Indiâ oſtium eſt, fabuloſum appellavit, id ſibi voluiſſe, hunc fluvium incipere curſus ſuos ac deſinere inter populos figmentis mendaciiſque deditiſſimos.

Quas parabolas in nationibus, de quibus *Parabola*
diſſerui, profanas modò vidiſti, eæ ſanctio- *Dei autoritate con-*
res factæ ſunt, in Syriâ, & Dei ipſius auto- *firmata.*
ritate roboratæ. In ſacra quippe Scripturâ declarat ſe per figuras & ænigmata ſuam voluntatem Prophetis aperire. Alio in loco ſuas ſe leges ſub parabolarum integumentis propoſiturum eſſe confirmat. Salomon unum ex *Salomon*
præcipuis ſapientiæ Doctrinæque ornamen- *Parabolarum &*
tis in certâ ænigmatum & parabolarum cogni- *ænigmatum ſtu-*
tione poſitum eſſe voluit. Parabolarum, quas *dioſus.*
ille ſcripſerat, paucæ reſtant: Hiſtoria ſancta eas ad tria millia numerat, & poëmata pluſquam mille ab eo meditata eſſe teſtatur. Ex iiſ-

dem ſacris Codicibus comperimus Reginam Saba illius ſapientiæ famâ excitatam, quum tantæ rei experimentum ipſa capere ſtatuiſſet, veniſſe varia ipſi ænigmata propoſitum, & quum eum omnia nullo negotio explicantem vidiſſet, ſapientiæque & ingenii altioris vim ac præſtantiam ipsâ famâ longè majorem in eo agnoviſſet, admiratione plenam rediiſſe. Ex teſtimonio Dii, qui Phœnicum hiſtoriam ſcriptis mandaverat, & ex Menandro Epheſio, qui Tyriorum annales Græcè reddiderat, refert Joſephus Salomonem & Hiramum Tyri regem ſibi invicem ænigmata proponere ſolitos eâ lege, ut qui non poſſet ea explicare, pondus ingens auri ſolveret. Scriptura ſacra tota myſteriis, tota allegoriis & ænigmatis plena eſt. Prophetæ per ſigna & imagines futura ſæpe prædicebant; ſin uterentur verbis, obſcura ea erant, & myſteriis implicata. Eruditiſſimi quique inter Judæos, ut Therapeutæ, de quibus Philo, & Deuterotæ, de quibus loquitur Euſebius, ad horum Myſteriorum intelligentiam curas præcipuas ſuáſque omnes cogitationes conferebant. Ille idem Philo & Ariſtobulus, ambo Iudæi; Thalmudiſtæ quoque, & Rabbini celebriores horum varias explicationes in ſuis operibus afferunt. Ipſe S. Paulus in ſuis epiſtolis magna veritatis multiplicis myſteria ſub Antiqui Teſtamenti figuris obſcurioribus involuta

Scriptura ſacra Allegoriis plena.

voluta

voluta clariùs evolvit. Hi Thalmudiſtæ, nullo licet argumento fulti, putarunt librum Jobi meram eſſe Parabolam ab Hebræis excogitatam. Quâ in re eorum opinioni adhæſerunt Anabaptiſtæ & Lutherus, qui & de hiſtoriâ Eſtheræ eandem animo ſententiam imbibêre. Idem quoque ſentiunt de hiſtoriâ Judithæ, quos Heterodoxorum plerique ſecuti ſunt. Grotius allegoricam hujus ſignificationem ſe retexiſſe putat, eámque in ſuis Commentariis proponit. Ingenioſa ſunt ejus hac de re cogitata, ſed tum cùm ſe verum retur falſæ hiſtoriæ ſenſum reperiſſe, veram hiſtoriam falsâ interpretatione depravavit. Pſalmorum liber, liber Proverbiorum, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, & alia ſacra Cantica, liber ipſe Jobi, ſunt opera poëtica, plena figuris, quæ quidem in ſcriptis noſtris audaces & accerſitæ viderentur, ſed quæ huic genti ſunt uſitatiores. Proverbiorum liber alio nomine etiam inſcribitur, Parabolæ, quia proverbia hujuſmodi ex Quintiliani definitione ſunt figmenta tantùm aut parabolæ compendioſæ: ut è contrario S. Joannes proverbia appellat parabolas in ſuo Euangelio relatas. Canticorum Canticum opus Dramaticum eſt in ſpeciem operis Paſtoralis, in quo flagrantiſſimi amores ſponſi ſponſæque perquam teneris viviſque affectibus exprimuntur, quorum illecebris mirificè permulceremur, ſi illa

Liber Jobi parabola falſo creditus eſt.

Pſalmorum liber, Proverbia, Eccleſiaſtes Cantica Cantic. ſunt opera poëtica.

verborum & figurarum ornamenta ingenio noſtro, noſtríſque inſtitutis minùs repugnarent; aut ſi exuere poſſemus injuſta illa præjudicia, quibus ſemel præoccupati, quæ vel tantulum à moribus noſtris recedunt, ea omnia palato delicatiore reſpuimus. In quo nec cogitantes, nec ſentientes nos ipſi condemnamus, ſiquidem tantæ ſumus levitatis, ut ſæpius judicia moréſque mutemus. Servator ipſe noſter nulla fere niſi ſub Parabolarum involucro Judæis tradit præcepta. Denique teſtis eſt S. Hieronymus hujuſmodi figuris Syros & Palæſtinos, cum quibus tamdiu verſatus fuerat, in familiari conſuetudine uti fuiſſe ſolitos, quò, inquit, ſimilitudinum & exemplorum adminiculo res clariùs, quàm per præcepta ſimplicia, & nudas expoſitiones intelligerentur. Thalmud fabulas penè infinitas continet, aliás aliis longè magis ridiculas. Has Rabbini complures explicarunt, conciliarunt, aut in opera quædam peculiaria congeſſerunt, & multa inſuper compoſuêre proverbia, apologos, poëmata, quorum etiam certam quandam ſpeciem invenerant, quæ nec ſyllabarum numero, nec menſuræ verſuum alligata, ex ſuis parabolis, hyperbolis, & amplificationibus ſuam ſibi pulchritudinem aſſerebat. Cyprii & Cilices Syriæ finitimi, quaſdam fabulas ſuo nomine appellatas commenti ſunt; & perpetua ac dominatrix illa

Christus ipſe Parabolarum amans.

Thalmud fabulis abundat.

Cyprii & Cilices mendaces.

illa in Cilicibus mentiendi conſuetudo vetuſtiſſimo Græcorum proverbio infamata eſt. Demum in his omnibus regionibus fabularum uſus ita invaluit; ut, autore Luciano, apud Aſſyrios & Arabas eſſent, qui in iis explicandis totam ſuam operam atque induſtriam collocarent: & hi quidem tam ſanctè temperatéque vivebant, ut multò longiore, quàm cæteri homines, vitâ fruerentur.

At verò mihi Sufficiat primos fabularum Romanenſium fontes recluſiſſe: videamus nunc, quâ illæ viâ, quo ductu, ſeſe per Græciam & Italiam diffuderint; & utrum inde ad nos fluxerint, an eas aliunde hauſerimus? Jones, Aſiæ minoris populus, ad maximam potentiam creverant; partíſque multis opibus, luxu & voluptatibus affluentiæ comitibus individuis ſeſe immerſerant. Hos, capto Crœſo, Cyrus ſubegit, & cum iis totâ Aſiâ minore in Perſarum poteſtatem redactâ, mores ſimul legéſque victorum accepêre, quorum delicias, cùm his, ad quas animi proclivioris impetu ferebantur, commiſcerent, facta eſt gens poſt homines natos quàm amantiſſima voluptatum. Ad delicias menſarum novas alias,eáſque exquiſitiores adjunxêre; flores & ſuffimenta addidêre, nova ſtruendis ædificiis ornamenta invenêre. Lanæ & panni quique tenuiſſimi, veſtes commodiores, magnificentiora & pretioſiora periſtromata ex his regionibus

Qui fabulæ Romanenſes in Græciam transierint.

 nibus

nibus exportabantur. Saltationis laſcivæ genus, hinc dictæ Jonicæ; inſtituerunt: & tam inſignis ac pervulgata evaſit eorum mollities, ut in proverbii conſuetudinem venerit. Cyrus ipſe, quò Lydorum Joniæ vicinorum, quorum animus inquies & turbulentus ſuſpectabatur, rebelliones præverteret, animóſque emolliret, adhibito Cræſi conſilio lege ſanxit, ut liberos ſuos mollioribus exercitationibus educarent; eos luxum addocerent, & ad ſaltationem, muſicam artémque Ludionum effingerent. Dicto audientes fuêre Lydi; & vitæ mutationem conſecuta eſt animorum mutatio. Hinc in Thuſciam, & ex Thuſciâ Romam trajecerunt. Horum illic placuêrunt choreæ: ludis admoti ſunt ipſi & ſpectaculis & ex Lydorum nomine Romani ludo nomen fecere. Verùm inter omnes Joniæ populos Mileſii, voluptatum peritiâ, & deliciis ingenioſis cæteros facile ſuperarunt. Hi primi ex Perſis fabulæ Romanenſis artificium didicêre, & in his operibus tam feliciter operam ſuam poſuerunt, ut fabulæ Mileſiæ, hoc eſt eorum fabulæ Romanenſes, hiſtoriis amatoriis & narrationibus laſcivis plenæ, longè latéque inclaruerint. Facilè crediderim fabulas Romanenſes hactenus fuiſſe à ſordibus & laſcivia alienas, & de amoribus tum modeſtiùs atque infrequentiùs egiſſe; ſed illas à Mileſiis primùm turpificatas eſſe, & narrationi-

tionibus molliuſculis & inhoneſtis deturpatas. Opera illa omnia temporis injuriâ periêre, vixque ſuperſtes remanſit nomen Ariſtidis, qui apud illos fabulatorum notiſſimus, multos fabularum, quas Mileſias vocant, libros ediderat. Dionyſium Mileſium, qui Darii primi temporibus vixit, reperio hiſtorias ſcripſiſſe fabuloſas, ſed cùm non ſatis liquidò conſtet annon opus hoc fabularum veterum fuerit collectio; cùmque nullo ſatis firmo fundamento niti poſſim, ut ſtatuam, eas fuiſſe fabulas, quibus Mileſiarum nomen propriè conveniat, eum fabulatorum Romanenſium numero adſcribendum eſſe non arbitror. Idem ſentio de Hegeſippo, & aliis autoribus, quorum Mileſiaca citat Parthenius, quum ex iis narrationibus, quas ab illis mutuatur, judicari queat, eos non fabulas, quas Mileſias dixêre, ſed antiquam Mileti hiſtoriam literis tradidiſſe.

Jones ex Atticâ & Peloponneſo oriundi, originis ſuæ memores erant, & cum Græciæ populis magnam ſocietatem fovebant. Suos ſibi invicem liberos mittebant, quò hi patrium ingenium exuerent, & mutuos mores ac conſuetudines animis tenerioribus adbiberent. In tam frequenti commercio Græcia ſuapte naturâ fabularum amans, ab Jonibus fabularum Romanenſium opificium & didicit facilè, & feliciter excoluit. Sed, ne *Græcia ab Jonibus fabularum Romanenſium artem didicit.*

ne quid ego confundam, temporum ordinem ſecutus aggrediar ad referendos ex autoribus Græcis eos, qui in hoc artis genere majorem ſunt gloriam conſecuti.

Clearchus primus de Amore ſcripſit. Erotica ſcripſère Theophraſtus, Ariſto, Parthenius.

Ante Alexandri magni ætatem nullum hac arte celebratum video: Unde mihi perſuaſum eſt doctrinam Romanenſem, non multùm apud Græcos profeciſſe, antequam à Perſis, quos devicerant, eam accepiſſent, & ex ipſo fonte hauſiſſent. Clearchus Solis, quæ urbs Ciliciæ eſt, ortus, qui Alexandri temporibus claruit, & perinde ut ille fuit Ariſtotelis diſcipulus, primus eſt, à quo libros inveniam de amore conſcriptos. Neque tamen certò ſcio, an non hoc opere varios caſus amatorios fuerit complexus; vel ex hiſtoriâ vel ex fabulâ vulgari petitos: cujuſmodi lucubrationem deinceps, Auguſto imperante, adornavit, Parthenius quæ ad ætatem uſque noſtram pervenit. Id ut ſuſpicer, facit quædam fabella, quam ex Clearcho deſumpſit Athenæus, ubi nonnulla referuntur indicia, quibus Gyges Lydorum rex ſignificavit, quanti meretricem quamdam faceret, & quo eam amore proſequeretur. Theophraſtus, qui Ariſtotelis pariter diſcipulus fuerat, & Ariſtoteles ipſe, Erotica ſcripſerant, itidem ut Clearchus: ſed ex aliis horumce eruditiſſimorum hominum operibus judicari facilè poteſt, eos de amore potiùs,

Phi-

Philoſophorum more, quàm mythologorum aut hiſtoricorum diſputaſſe. Si Eroticæ Ariſtonis Diſſertationes, de quibus loquitur Diogenes Läertius, eædem ſunt, ac illæ Similitudines amatoriæ autoris cujuſdam cognominis, quas citavit Athenæus; ut nonnulli credidêre; ex hoc ultimo titulo conjici poteſt, fuiſſe id Parthenii compilationi non abſimile. Ad ſummam de veterum Eroticis, quorum Auctores recentiores ſatis frequenter meminerunt, hoc ſtatui poteſt, ea aut Philoſophica, aut Mythologica fuiſſe, pauca hiſtorica, Romanenſia verò longè pauciora.

Antonius Diogenes & Antiphanes fabularum Romanenſium ſcriptores.

Antonius Diogenes, qui ex conjecturâ Photii paulò poſt Alexandrum vixit, de erroribus & amoribus Diniæ ac Dercyllidis, ad Odyſſeæ Homericæ, & errorum Ulyſſis imitationem, veram Romanenſem Fabulam contexuit. Id opus, etſi in multis rebus vitio non caret, refertúmque eſt nugis ac narrationibus parum veriſimilibus & ne in poëta quidem ferendis, dici tamen poteſt ad Romanenſium fabularum legem exactum. Id Photius in Bibliothecam ſuam tranſcripſit, & de eo tanquam ex fonte Manaſſe ait quicquid Lucianus, Lucius, Jamblichus, Achilles, Tatius, & Damaſcius in hoc genere ſcripſerunt. Ibidem tamen addit Antonium Diogenem meminiſſe Antiphanis cujuſdam ipſo antiquioris, quem hiſtorias prodigiales ſuis ſimiles in lucem

protuliſſe memorat. Ita hic alter exemplum Fabulatoribus Romanenſibus, & materiam non minùs, quàm Antonius Diogenes potuit ſuppeditare. Eum loqui arbitror de Antiphane Poëtâ comico, qui Stephani Geographi, aliorûmque teſtimonio, ex narrationum incredibilium atque etiam nugatoriarum farragine librum contexuit Berge, quæ Urbs Traciæ eſt, ortus erat, ejúſque mendacia locum fecerunt Græcorum proverbio, hominem, quum nihil veri diceret, Bergaïſſare dictitantium. Quod ad Antonium Diogenem attinet, cujas fuerit, incertum eſt.

Ariſtides Mileſias in deliciis fuit apud Romanos

Neque etiam certo aſſeverare poſſum, quâ ætate Ariſtides Mileſius, de quo egi antea, vixerit. Certum tamen & exploratum illud eſt, eum ante Mariana & Syllana bella vixiſſe. Nam Siſenna Hiſtoricus Romanus, qui his temporibus florebat, hujus fabulas Mileſias latinitate donarat. Hoc opus multis ſcatebat ſordibus, & tamen illud deinceps in deliciis habuêre Romani; adeo ut Surenas, hoc eſt Parthorum imperio Præfectus, qui Romanum exercitum, Craſſúmque Ducem delevit, quum eas inter ipſam Roſcii ſupellectilem reperiſſet, inde arripuerit occaſionem ſpectante Seleuciæ Senatu, inſultandi Romanorum mollitiei, qui vel in ipſo bello ab hiſce ludicris avellere animum non poſſent.

Lucius.

Lucius Patrenſis, Lucianus Samoſatenſis,

& Jamblichus iiſdem fere temporibus, Antonino & Marco Aurelio imperantibus claruerunt. Primus, homo ſimplex, & rebus à ſe narratis credulus, Metamorphoſes tantùm & magicas beſtiarum in homines, & hominum in beſtias transformationes collegerat. Lucianus verò magis emunctæ naris, harum partem, ut pro ſuo more irrideret, in ſuo retulit libro, quem Aſinum vel Lucium inſcripſit, quò hoc figmentum ab illo depromptum eſſe ſignificaret. Et re quidem ipſâ in hunc librum velut in epitomen redacti ſunt duo priores Lucii Metamorphoſeon libri, quibus inerat vera fabulæ Mileſiæ forma. Ex quo ſpecimine ſatis liquet, quanto jure Photius, iis ſordibus, quibus ſcatebat, offendatur, deque iis conqueratúr. Aſinus ille tam ingenioſus, tam bellè inſtructus, cujus hiſtoriam hi Autores deſcripſère, non abſimilis eſſe videtur aſino alteri ejuſdem elegantiæ, de quo poſt Damaſcium meminit Photius. Ait nempe hunc fuiſſe Grammatici cujuſdam, nomine Ammonii, eúmque tam lepido & ad elegantias ita nato ingenio præditum, ut verſuum audiendorum voluptati cibum potumque poſtputaverit, poëticáſque amœnitates ſentire ac dignoſcere videretur. Brancaleo exemplar proculdubio eſt ad Aſini Lucianei aut Appuleiani ſpeciem effictum: quippe Figmentum Italicum eſt, in quo

Lucianus & Jamblichus, Mileſiarum ſcriptores.

Quos Auctor Brancaleonis & Cervantaeus imitati ſunt.

quo videas facetiarum & ingenii plurimùm. Ad hujus quoque effigiem Michaël Cervantæus caſus illos depinxit, qui in jucundiſſimo Scipionis & Bergantii, Pſochodochii Vallis-Oletani canum colloquio referuntur. Lucianus præter Lucium ſuum, perjucundam de vocalium judicio Parabolam commentus eſt: cujus tamen idea, à quodam Judæo, qui fuit antiquior excogitata eſt. Idem etiam Lucianus duos libros condidit hiſtoriarum facetarum atque ridicularum, quas ut tales ipſe proponit, eáſque nec accidiſſe unquam, nec accidere potuiſſe, primâ fronte profitetur. Quidam quum viderent hoſce libros huic libro conjunctos, in quo de conſcribendâ hiſtoriâ præcepta tradit, ſibi perſuaſerunt, quod ille docuerat, id exemplo præſtare voluiſſe. Sed vel ab operis ſui limine ipſe declarat, ſe non aliâ mente ad ſcribendum accedere, quàm ut illuderet tot Poëtis, Hiſtoricis, atque etiam Philoſophis, qui impunè pro veris fabulas venditarent; &, id quod fecerant Cteſias & Jambulus, regionum exterarum falſas hiſtorias exponerent. Si itaque in confeſſo eſt, ut affirmat Photius, Romanenſem Antonii Diogenis fabulam, velut fontem extitiſſe, unde derivati ſunt hi duo Luciani libri, fatendum eſt fabuloſas Cteſiæ & Jambuli hiſtorias occaſionem dediſſe Luciani fabulis; qui ut earum vecordiam & vanita-

tem in omnium oculis clariùs exploderet, ſimiles compoſuit, eáſque ad Fabulæ Romanenſis Antonio Diogeni elaboratæ formam exegit.

Jamblichus Fabula Romanenſis autor.

Iiſdem temporibus Jamblichus Babylonica ſua publicavit. Sic ille Romanenſem ſuam inſcripſit, in quâ ſuperiores longo præcurrit intervallo: ſi enim ex illâ, quam nobis reliquit Photius, epitome judicium fieri poteſt, unicam hoc opus actionem decoris veſtitam ornamentis, epiſodiíſque ex ipſâ materiâ ductis locupletatam complectitur. Hîc veriſimilitudinis rationem videas ſatis accuratè obſervatam, caſúſque ſublatâ confuſione, magnâ varietate diſtinctos. Ipſa tamen operis diſpoſitio arte caret. Temporum ordinem rudioris inſtar tyrunculi ſecutus eſt, neque, ut facere poterat, ad imitationem Homeri, ſui lectoris animum in medium argumentum contulit. Huic operi pepercit temporis iniquitas. Non multi anni ſunt, quum in Scorialenſis Templi Bibliothecâ liber ille viſeretur, ſed ipſum ibi nunc fruſtrà requiras. Alicubi legere me memini Jungermanum, qui longi Paſtoralia illuſtravit, hujus operis exemplar habuiſſe. Et non ita pridem Leo Allatius ejuſdem particulam edidit. Cæterùm hic Jamblichus, & alter ejuſdem nominis Philoſophus, Porphirii diſcipulus, cujus vitam ſcripſit Eunopius, ſimul non ſunt confundendi.

Differt ab Jamblicho Philoſopho

dendi. Hic præter opera alia pleraque, Pythagoræ vitam poſteris reliquit, & ſub Imperatore Juliano, Fabulator autem ſub Antonino floruit.

Heliodorus Fabulæ Romanenſis autor. Heliodorus in operis diſpoſitione, ut in cæteris illum longè ſuperavit. Nihil hactenus tam perfectum ingenio, tam elaboratum induſtriâ in arte Romanenſi, quàm Theagenis & Charicleæ caſus quiſquam unquam viderat. Nihil eorum amoribus caſtius eſt. Quâ in re præter Religionem Chriſtianam, quam autor profitebatur, ſua ipſi virtus hoc honeſtatis, quæ in toto elucet opere, lumen afflaſſe videtur. In quo ſanè non ſolùm Jamblichus, ſed omnes ferè antiqui, quorum Fabulæ Romanenſes ad nos venêre, debent ipſi cedere principatum. Itaque ad Epiſcopi dignitatem ſuæ virtutis gradibus evectus fuiſſe memoratur. Tricca Theſſaliæ Urbs eſt, cujus ille creatus Antiſtes, hanc, uti refert Socrates, introduxit conſuetudinem, ut viri Eccleſiaſtici, qui non abſtinebant à mulieribus, quas antequàm rei ſacræ miniſteriis admoverentur, duxerant, ſuis ſacerdotiis exuerentur. Quæ omnia eò me facilè reducunt, ut diffidam iis maximè, quæ addit Nicephorus, ſcriptor credulus, ſapientiæ & fidei non ſatis ſpectatæ, Synodum ſcilicet Provincialem cognito periculo, in quod lectio fabulæ hujus, cui autoris ſui dignitas tantum ponde-

ponderis & autoritatis dabat, juvenes ſuaptc naturâ ad id propenſos & quaſi mutantes impelleret, eam ipſi conditionem obtuliſſe, ut aut opus ſuum flammis aboleret, aut ſuâ dignitate cederet; eúmque, quod ultimum erat, prætuliſſe. Sed ut ad ejus librum revertamur, in eo fæcunditatis multùm & inventionis emicat. Hîc crebriores ſunt eventus; novi, veriſimiles, ſcitè diſpoſiti, atque explicati. Admirabilis eſt ipſa operis ſolutio, facilis & velut ſuâ ſponte procurrens, nihilque eſt ad animi motus excitandos efficaciùs. Sacrificii horrori, in quo immolandi erant Theagenes & Chariclea, cujus pulchritudo & virtus nemini non excutiebant lacrymas, inopina ſuccedit lætitia ob liberatam periculo præſenti puellam, & diuturnis exemtam puellam, & diuturnis exemtam calamitatibus, quibus tandem exolvitur penitùs, poſtquam à parentibus agnita eſt, & amanti feliciter nupta, quem dotali Æthiopiæ ſceptro ditat. Guavinus & deinde Urſæus luculentum hunc locum in Myrtili & Sylvandri agnitione feliciter ſunt imitati. Expetendum eſſet quidem, Heliodorum, qui tam eruditè novit totius ſuæ Romanenſis ſeriem artificioſam ſolvere, nullâ adhibitâ Machinâ, eâ in reliquo itidem opere abſtinuiſſet, in quo multas poſtea adhibuit, tum cum nulla neceſſitas poſtularet. In eo ſtyli elegantiam laudat Photius. Ego

 verò

verò nimis affectatum, nimis figuratum & poëticum eſſe cenſeo. In deſcriptionibus luxuriat; in iis ludit, nec exitum invenit. Philoſtrati deſcriptiones æmulatum eſſe dixeris. Ita ſolebant hujus ætatis præſtantiſſima quæque ingenia: qui mos ab Antoninis, hoc eſt, ab occaſu ſanioris judicii, uſque ad Imperii occaſum regnavit. Ut ut eſt, eum ſibi ſequentium temporum Fabulatores Romanenſes tanquam exemplum propoſuerunt ad imitandum, & tam verè omnes dici poſſunt ex hoc fonte, quàm Poëtæ ex Homerico ſuas, ſic ut dicam, aquas hauſiſſe. Hujus ſeculi Vir quidam doctiſſimus, an hic liber Heliodori Triccenſis Epiſcopi eſſet, dubitavit; ſed nemo non Socratis & Photii teſtimonio ſtare poſſe mihi videtur: qui quidem quum hanc opinionem referant quaſi ab omnibus receptam, nec ab eâ diſſentiant, ipſi ſe in eandem quoque ſententiam pedibus iiſſe ſatis oſtendunt. Qui hunc affirmarunt eſſe Heliodorum illum, cui S. Hieronymus eas, quas in ejus monumentis legimus, epiſtolas ſcribit, id non facili negotio demonſtrarent: nam convenientia nominis, temporis & dignitatis Epiſcopi non ſunt Achillea ad id probandum argumenta. Sed qui id negare vellent, eos contrariæ ſententiæ fautores difficilius etiam refellerent. Alii porrò eundem Heliodorum cum Heliodoro Arabe confundentes, ver-

An ille ſit Heliodorus ad quem ſcribit S. Hieronymus?

vergente ſeculo ſecundo vixiſſe crediderunt. Sed ſatis conſtat eum Theodoſii Magni & ejus filiorum Arcadii & Itonorii claruiſſe temporibus. Et certè videmus Photium in eâ Fabulatorum Romanenſium, quos Antonii Diogenis fuiſſe putat æmulatores, enumeratione, poſt Jamblichum numeraſſe Heliodorum, quem exiſtimet antiquiorem eſſe Damaſcio, qui Juſtiniano imperante vigebat.

Quòd ſi res ad hunc calculum expenderetur, Achilles Tatius, qui de Clitophontis & Leucippes amoribus Fabulam Romanenſem ex artis obſervatione limavit, ante Heliodorum à Photio numeratus, ipſo eſſet antiquior. Sed eo minùs firma hæc conjectura eſt, quod idem Photius alibi ſatis clarè innuit hunc Heliodoro imitando ſtuduiſſe, ideóque eſſe recentiorem: id quod ſtyli ipſius differentia confirmare videtur. Sed quamvis reverâ Tatius illum apertè æmulatus ſit; & quicquid in eo eſt excellentius, id ex hoc fonte fluxerit; ipſi tamen neque morum honeſtate, neque varietate eventuum, neque veriſimilitudine, neque operis ſolvendi & explicandi, artificio eſt conferendus. Nonnihil etiam ex Luciano, & plura ex Philoſtrato videtur eſſe mutuatus. In autore parum fæcundo cujuſmodi ille eſt, ſagax & tecta non diſplicuiſſet imitatio, & tot furta ipſi condonari potuiſſent, ſi ea ſaltem interpolare ſciviſſet; ſed eum deſeruit ſagaci-

Heliodori imitator Achilles Tatius.

tas & inventio. Ejus dictio meâ quidem ſententiâ, etſi plus ſapiat novitatem, Heliodori tamen dictioni eſt præferenda. Conciſa magis magiſque perſpicua eſt: ſimplicior etiam atque facilior, etſi non ſemper: cum ab hoc dicendi genere ſæpius recedat, conquiſitis affectationibus & antithetis, quæ ſcholarum pulverem nimis redolent. In totâ hâc Therſandri lite & in his actionibus tædio plenis, quæ ſeptimo octavoque libro continentur, magnum Rhetoricæ excitat apparatum, ſed dum ſuam eloquentiam ad pompam & oſtentationem explicat, ſe ipſum ut malum oratorem, frigidum, languentem, enervem, & invenuſtum traducit. Ex hoc declamatoris ingenio proficiſcuntur longiores illæ ſententiæ, & ad rem tam parum appoſitæ, quas ultro citróque infarſit, eáſque longè diſcrepantes ab iis, quibus optimi quique Hiſtorici ſua ſcripta condierunt. Non animadverterat eas his operibus tantâ induſtriâ eſſe infertas, partem ut narrationis, & naturam conſtituere videantur. Non noverat ſententias hiſtoriis multum venuſtatis afferre, modo non proponantur ſententioſè. Alioquin in profeſſorias prælectiones & præceptiones evadunt, quibus animus lectoris deterretur. Ejus Epiſodia, quæ tam delicatâ manu ipſi operi aptanda erant, ut unum & idem textum haberi poſſent, tam rudi acu aſſuta ſunt, ut non orna-

namenta, ſed pannos exiſtimes. At verò frequentioribus ejus deſcriptionibus, vanis & extra rem petitis nihil eſt vitioſius: hîc ſine modo & ratione evagatur. Placet hæc ipſi figura præcæteris, ut ſemper placuit hominibus mediocri ingenio natis, qui in opere ſuſcepto nacti paratam materiam, ex ſuo tantùm tenentur verba ſuppeditare, aut ſaltem cogitata quædam inſerere, quæ non raro inſulſa ſunt, inſipida, & ferè ſemper ex Rhetoricæ locis communibus petita Et tamen ſemet ipſi fallentes, ſui ingenii præſtantiæ ac fœcunditati ſeſe debere arbitrantur, quod naturæ debent, quæ totum ipſis & obtulerat & paraverat argumentum. Taſſus tamen & ad ejus exemplum Urſæus ex hoc ſtercore collegerant aurum, & hinc ſuis Paſtoralibus Dramatis decus addiderunt. Inter alia amœnum de apis punctione, & de ſalſis ad eam curandam incantamentis figmentum agnoſcitur. Achilles Tatius Chriſtianæ militiæ tandem nomen dediſſe fertur, & ad Epiſcopi dignitatem adſcendiſſe. Miror certè libri hujus obſcœnitatem tam citò ex hominum animis excidiſſe. Suum Heroëm neque honeſtatis addicit legibus, quas Moralis præſcribit Philoſophia, neque fidelitatis adverſus amatam puellam, quas ſancit ars amandi. Eum etiam nonnumquam humanitatis & pudoris expertem facit, quales finguntur venerandæ antiquitatis

Heroës. Adeo etiam magis miror Imperatorem Leonem cognomento Philoſophum in epigrammate, quod extat, hujus libri modeſtiam laudare potuiſſe, atque permiſiſſe, imò & autorem fuiſſe iis, qui ſe caſtitatis profiterentur amatores, ut eundem librum à principio ad calcem evolverent.

Athenagoræ Scriptor Romanenſis an non ſuppoſititius?

Hîc annumero, quamvis fortaſſè parum conſideratè, Athenagoram illum ſub cujus nomine Fabula Romanenſis *De vero & perfecto amore* inſcripta circumfertur. Hic liber Gallicè tantùm editus eſt ex interpretatione Fumæi, qui in ſuâ præfatione ait ſe habuiſſe Græcum archetypum ex Lamanæo Protonotario eminentiſſimi Cardinalis Arminiaci, neque ſe alibi unquam vidiſſe. Auſim ego adjicere & ab eo tempore vidiſſe neminem. Nam ejus nomen, quod ſciam, in Bibliothecarum Indicibus nunquam viſum eſt. Quod ſi uſpiam extat, aut premit id in ſordibus muſei ſui imperitus aliquis, qui poſſidere hoc ſe neſciat; aut invidus, qui nolit Juris-publici facere, cum poſſit. Subjicit deinde Interpres ſe opinari fœtum eſſe illuſtris illius Athenagoræ, qui Apologiam pro Chriſtiana Religione ad Marcum Aurelium, & Commodum Imperatores, & de Reſurrectione tractatum promulgavit. Eo ſe adductum eſſe dicit ſtyli potiſſimùm ſimilitudine, de quo, quum Græcum exemplar haberet in manu, judica-

re utique potuit. Quod quidem opus Fumæus Fabularum Romanenſium artificii ignarus, pro verâ hiſtoriâ amplectitur. Ego verò, quanquam nihil certi hac de re pronuntiare audeam, quum Græcum exemplar non viderim, tamen ex interpretationis lectione aſſeverare non metuam Fumæum id operis Athenagoræ apologiæ autori non ſine ratione aliqua probabili adſcribere. Quæ me ad id cauſæ impulerint, hîc accipe. Chriſtianus fuit auctor Apologiæ; hic de Deo ita diſſerit, ut Chriſtianum decet. Exempli cauſâ, quum Hammonis Sacerdotes ita loquentes inducit, unum tantùm eſſe Deum; cujus naturam quum gens quæque hominibus rudioribus vellet exhibere, varias imagines invenerit, quæ omnes rem unam & eandem exprimant; vera earum ſignificatio quum ſit temporum oblivione deperdita, vulgus tot ſibi Deos finxiſſe, quot cernebat Deorum ſimulacra; inde Manaſſe impios falſorum numinum cultus; Bacchum, Hammonis Templum quum extrueret, unius tantùm Dei in eo imaginem erexiſſe; quòd, quum unum ſit tantùm Cœlum, cujus ambitu mundus unus contineatur, unus etiam tantùm ſit in hac rerum univerſitate Deus, qui Spiritùs vi ſeſe per omnia diffundat. Eoſdem aut plures etiam quibuſdam Ægyptiorum Mercatoribus ſermones affingit, Diis nempe fabuloſis varias actiones de-

deſignari hujuſce ſummi & unius Numinis, quod caret principio ac fine, quòdque obſcurum appellat & tenebroſum, quia neque videri poteſt, neque comprehendi. Præterea, quæ hi & Sacerdotes & Mercatores de Naturâ Divinâ diſputant, Athenagoræ in ſuâ legatione diſputationi ſatis convenire videntur. Scriptor Apologiæ ſacerdos fuit Athenienſis, hic Athenienſis Philoſophus. Uterque acri ingenio, eruditione & antiquitatis peritiâ præditus. Verum in Præfatione ipſius Fabulæ Romanenſis locum invenio, ex quo ab Apologiæ auctore ſcriptam non fuiſſe certiſſimè evincitur. Locus ille eſt, in quo autor de graviſſimo vulnere, quod in Græciæ totius vaſtitate, Athenis patriæ ſuæ modò inflictum erat, conqueritur. Hæc autem tantùm intelligenda ſunt, vel de Scytarum ſub Imperatore Gallieno, vel de Alarici Gothorum Regis irruptione, tum cum Arcadius & Honorius rerum potirentur. Nam Athenæ à Syllæ temporibus depopulatæ non fuerant, hoc eſt trecentis circiter & quinquaginta ante Scytharum incurſionem annis; nec fuére deinceps niſi poſt ſeptingentos circiter annos Gothis irruentibus direptæ. Eſt autem, cur auctoris hæc verba de Alarici potiùs, quam de Scytharum direptione accipiantur. Siquidem Athenis Scythæ tam properè pulſi ſunt, his ut querelis locum dare non potuerint: at

Gothi

Gothi in hac Urbe crudeliter graſſati ſunt, & ibi luctuoſa ſuæ immanitatis reliquêre monumenta. Syneſius cujus nomen his temporibus celebre fuit, eadem queritur; & quemadmodum ab Auctore noſtro factum eſt, deplorat literarum occaſum, atque exitium ab his barbaris huic civitati illatum, in qua cunabula olim & ſedem fixerant. S. Hieronymus Syneſio æqualis funeſtum deflet excidium, in quod ſuâ ætate Græcia ferociſſimis Septentrionis Gentibus in eam latè effervеſcentibus redactâ fuerat. Itaque dubitari non poteſt, quin ea præciſè ſit ætas, quæ noſtræ Romanenſis Præfatione deſignata eſt, quáque ideò Lectori innuitur hoc ævo vixiſſe fabulator Athenagoras. Sed cur diutiùs immoror in conjectandâ eâ ætate, quâ vixerit, cùm non ſatis conſtet, utrum vixerit unquam, & utrum opus ipſius nomine inſcriptum, non ſit ſuppoſititium. Et ſanè præclara rerum earum peritia, quæ à veteribus in iis quæ vel ad naturam vel ad artem pertinerent, inventæ & traditæ ſunt; tum exquiſita præteritorum temporum notitia, vetuſti de falſâ Rha & Boryſthenis fluviorum conjunctione errores, in quos nequaquam recentior impegiſſet; Græcæ locutiones, quæ vel inter ipſam interpretationis umbram translucent; & ante omnia, quædam antiquitatis gratia & dignitas, quam non facilè quis effingat, quæque in toto opere emicat, illud ab omni

ſuppoſitionis ſuſpicione vindicare poterant. Verum quis aliunde credat Photium, quum tam accuratè de Fabulatoribus Romanenſibus ſeipſo antiquioribus egerit, de hoc ſilere potuiſſe? Quis credat in tot qui ſuperſunt libris, neque de opere, neque de operis autore ullam extare mentionem? nullum hujus exemplar in Bibliothecis reperiri? & illud etiam; quo, qui id vertit, uſus eſt, poſtea evanuiſſe? Tot inter dubitandi rationes, ſi eò me adducas, ut quid ipſe ſequar, aperiam, fatebor ingenuè ita mihi placuiſſe hoc opus, ut àmore excæcari me facile paſſus ſim. Ut enim quæ optamus, ea facile credimus, antiquum & legitimum credidi, quia tale eſſe cupivi. Nec mihi deerat, uti quidem mihi fingebam, quod reſponderem ad ea, quæ mihimet ipſe objiciebam. Si Photius, ajebam, de eo ſiluit, quis neſcit eum in ſuâ Bibliothecâ, non de omnibus autoribus, ætate ſua vetuſtioribus, ſed de iis tantùm, quos in Aſſyriâ legatione legerat, meminiſſe. Si Atenagoræ & nomen & fabulam ſilentio preſſerunt recentiores, ex argumento negante, quænam conſecutio deduci poteſt? Et ſi unum tantùm exemplar noſtris temporibus inventum eſt, quod exemplar poſtea fortaſſe perierit, quot alia excellentiſſima veterum monumenta eodem fato periêre? Sic conabar mihi ipſi fucum facere, ſed tandem verita-

ritati cedendum eſt, & candidè confitendum, mihi poſt opus iterum & longè majori, quàm antea attentione perlectum, perſuaſiſſimum eſſe cœpiſſe, falſum hunc eſſe & ſuppoſititium fœtum. Mille in locis temporum horumce ultimorum agnoſco mores & inſtituta antiquis incognita: quin & agendi ratio Sacerdotum & puellarum Hammoni conſecratarum, tam ſimilis noſtrorum Monachorum & virorum religioſorum conventibus, regiminíque ita congruens, longè diſſentiunt ab iis rebus, quas hiſtoria nos edocet de iis temporibus & locis, quibus vita Monaſtica nata eſt & adolevit. Ea cura, quam autor adhibet in explicandis quibuſdam priſcis ritibus, qui à noſtris differant, in hominem tantùm recentiorem cadit. Quis enim otio ſuo ita abuti vellet, ut ſui temporis conſuetudines notas omnibus & uſu quotidiano tritas deſcriberet? Verum quidem eſt, à temporibus Pauli Æmilii, quæ fabulæ, utque ad Arcadium & Honorium, quæ fabulatoris Epocha eſt, in moribus antiquis pleraque eſſe mutata; at non ita tamen, ut ad rerum explicationem opus eſſet hujuſmodi documentis. Multa adnotat ad priſcos autores, qui extant ad hanc diem, eóſque illuſtrat, potiſſimum vero Herodotum, Plutarchum, Quintum Curtium, Jamblichum Philoſophum, & Heliodorum; ex quibus præcipue, ſic tanquam ex fonti-

bus

bus totam ſuæ fabulæ hauſit materiam. Sed & obſervationes quoque aliàs addit illis contrarias & adverſas, quas priſcus aliquis autor & rerum antiquarum peritior haudquaquam protuliſſet. Puta, quum Æthiopum Theologiam eandem ac illam Græcorum fingit; quum Ethnicis cæremonias & locutiones planè Chriſtianas attribuit; quum Romanorum, Græcorum, Afrorum, aliarùmque gentium mores ſæpe confundit: quum refragante hujus ſeculi teſtimonio præteritis ſeculis conſentaneo, Brachmanæs nullos eſſe contendit, nullósque in Africâ Smaragdos reperiri, niſi ex Sabatiorum, aut ut rectius loqui debuerat, ex Sabæorum felicis Arabiæ populorum regione illuc importentur: licet contrà Plinius dixerit in Æthiopiâ, tribus à Copto diebus, imò in ipsâ Urbe Copto, quæ Urbs Ægypti ſuperioris ad Nili ripas ſita eſt, Smaragdos inveniri licet contrà ſenſerit Ptolomæus, qui in tertiâ Africæ tabulâ montem Smaragdum conſtituit, qui ex Smaragdis nomen traxit, aut iis indidit: licet denique contrà repetat toties Heliodorus Hydaſpen Oroondati Perſarum Satrapæ bellum intuliſſe, propter Smaragdorum fodinas, quæ in ipſis eſſent Ægypti & Æthiopiæ confinibus. Quid plura? Idem Melangeniam dicentem inducit Romanos ornaſſe Memphin; quaſi Memphis, tum cum viveret Melangenia, Romanæ ditionis

fuerit

fuerit. Idem in mediâ Græciæ luce litem capitalem inſtituit eadem & ſerie & formâ, ac ſi in ipſo Lutetiæ foro inſtitueretur. Scythas pali ſupplicio utentes exhibet, quòd apud Turcas Scythiâ oriundos ſit in uſu: cum cæteroquin Seneca, Procopius, & Heſychius id genus ſupplicii vetuſtiſſimum eſſe nos doceant. Brigittariæ nomen, quod famulæ, cuidam Scythicæ impoſitum eſt, ad exemplum nominis S. Brigidæ, Scoticæ virginis, quæ centum circiter annos poſt iſtius Athenagoræ ætatem vivebat, proculdubio effictum eſt, aut ad illud S. Brigittiæ, quæ in Sueciâ Scythiæ vicinâ regione nata his temporibus ultimis claruit. Iſthæc, ni fallor, obſervatio, antiquitatis larvam plane detrahit qua ſe ſuppoſititii fœtûs autor tegebat. Neque tamen Fumæo qui id operis vertit, technam & fraudem imputo: etſi eruditione non carebat, majoris tamen artificii opus illud eſt. Sed in eam me ſuſpicionem adduci ultrò paterer, ut crederem doctiſſimos illos viros, qui Cardinalis Arminiaci comites erant, Fumæo homini ſimplici hos caſſes prætendiſſe, & Protonotario Lamanæo, in Rep. Literariâ nullius nominis viro, in quem tam erudita fraus, tamque ingenioſa nunquam caderet, ad illum decipiendum eſſe abuſos. Quicquid ſit, illud certè opus acute & ſolerter inventum eſt, artificiosè deductum, eximiis ſententiis, & præcla-

claris Ethicæ præceptis illuminatum, magna jucundiſſimarum imaginum, ſapientiſſimè diſpoſitarum, varietate condecoratum. Ibi ſunt veriſimiles eventus, è re ducta epiſodia, diſtincta dicendi genera, honeſtas ubique religioſiùs obſervata; nihil hîc humile, nihil accerſitum, nihil quod Sophiſtarum puerilitatem redoleat.

In Fabulâ Romanenſi pulchrum eſt duplex argumentum. Cui hoc debeatur.

Duplex hîc argumentum: id quod magnam Comœdiis veteribus venuſtatem conciliabat. Nam non Theogenis Solum & Charidis, ſed Pherecydis quoque & Melangeniæ caſus complectitur. Nec verò tolerandus eſt Giraldi error multiplicem actionum rationem ab Italis excogitatam eſſe tradentis. Ante illos Græci & Franci noſtri veteres id factitaverant. Et Græci quidem ab actione quadam præcipuâ cæteras omnes actiones juxta Poëmatis Heroïci legem pendere voluerant: id quod ſcitiſſimè obſervavit ſuppoſititius ille Athenagoras, & in hac re Heliodoro & Achilli Tatio longè præſtitit, qui duplicem argumenti naturam non aſpernantes, eam non ſatis explicuerunt. Franciæ noſtræ homines antiqui, multiplices quidem, ſed ſine ordinatione, nexu, atque arte actiones ingeſſerant. Hos æmulati ſunt Itali, ſed ab illis dum accepêre fabulas Romanenſes, & earum vitia ſimul accepêre.

Giraldi laudere error.

Et hic Giraldi error eſt priore pejor, quòd non modò laudet hoc vitium, ſed & illud ut præclarum quod-

dam

dam inventum prædicet. Si verum eſt, ut ipſe confitetur, Fabulam Romanenſem corpori perfectò aſſimilari, & ex multis partibus iiſque diverſis aptaque proportione uni capiti reſpondentibus conſtitui oportere, illud profectò conſequitur, actionem præcipuam, quæ Romanenſis fabulæ velut caput eſt, unicam & præcæteris illuſtrem ita eſſe debere, ut actiones reliquæ huic ſubjectæ, velut membra totidem, ad hoc caput referantur, ipſique pulchritudine ac dignitate inferiores, huic ornando, huic ſuſtinendo, huic famulari quadam connexione ſubſequendo, comitandóque ſubſerviant. Alioqui corpus erit multorum capitum, deforme atque monſtroſum. Ovidii exemplum, quod ſibi favere ait, & aliorum quoque vatum Cyclicorum, quos in rem ſuam citare potuerat, eum ab errore non vindicant. Quippe fabulæ veteris Metamorphoſes, quas in unum poëma ſibi colligendas propoſuerat Ovidius; & fabulæ, quibus conſtant Cyclica Poëmata, quum ſint actiones diſtinctæ ſponte ſua, ferè ſimiles, & æqualis propemodum pulchritudinis, tam nequit ex iis corpus perfectum fieri, quàm ex arenâ ſolâ ædificium conſtrui. Minus etiam ad eum defendendum valet is quem tantum jactat, favor & plauſus vulgi, quo vitioſæ Italorum fabulæ exceptæ ſunt. De libri alicujus præſtantiâ, non ex approbatorum numero, ſed

ex doctrinâ ſtatuendum eſt. Nemo non ſibi tribuit de Poëticis & de Fabulis Romanenſibus judicandi licentiam: omnes Palatii Forenſis columnæ, omnes cubiculorum ſecretiores circuli totidem fiunt tribunalia, in quibus de nobiliorum operum conditione, ſupremo quaſi judicio pronuntiatur. Ex unius aut deſcriptionis, aut comparationis lectione, de pretio poëmatis Epici audacter ſtatuitur. Verſus paulò auribus aſperior, etſi ita locus & rei natura aliquando poſtulant, ejus famam in diſcrimen vocabit. Fabulam Romanenſem nobilitat affectus aliquis tenerior; deprimit ac infamat locutio coacta aut vetuſtate obſoleta dictio. Verum hujuſmodi operum ſcriptores talibus non ſtant judiciis. Norunt videlicet, eos tum demum, quod de eloquentiæ operibus ait Longinus de hujuſmodi ſcriptis poſſe prudenter judicare, qui longâ exercitatione in eo ſe genere exercuerunt. Meminerunt effatum illud Ciceronis, poëmatum famam ex paucorum judicio pendere; & illud Horatii, non omnium eſſe eorum vitia notare: quin & ſimiles huic Comœdæ, de quâ loquitur idem Horatius, quæ à plebe theatro pulſa, equitum approbatione contenta eſt, ſatis habent, ſi peritioribus rerum judicibus, iiſque in aliâ trutinâ hæc opera pendentibus placeant. Horum regulæ tam paucis cognitæ ſunt, ut optimi ſcriptionum

Excurſus in pravos Criticos.

num illarum æſtimatores, ut ſæpe inter nos diximus, non minùs rari ſint, quàm optimi aut Fabularum Romanenſium, aut poëmatum autores; útque in exiguo eorum, qui non malè de Verſibus judicant, numero vix unus inveniatur, qui de poëſi, ut par eſt, ſententiam ferat; aut qui & verſus & poëſin inter ſe toto cœlo diſtare probè intelligat. Hi probi æſtimatores rerum, ex quorum judicio, velut ex certâ regulâ de poëmatum & Romanenſium Fabularum dignitate ſtatui poteſt, Giraldo fatebuntur, Romanenſes Italorum fabulas multis celebrandas eſſe nominibus, ſed in iis exactam legum obſervationem, diſpoſitionem accuratam, & aptam deſcriptionis concinnitudinem requiri. Redeamus ad Athenagoræ fabulam, cujus aditus adeo mirabilis eſt, ut cum ejus ſublimitate & magnificentiâ conferri poſſit. In eo quaſi in tabulâ depingitur ſuperbus ille Pauli Æmilii triumphus, in quo inter tot tantáſque res tam ſingulares, támque memorandas, Rex Magnus cernitur catenis oneratus, cúmque liberis ante victoris currum raptatus. Illic autem Charis amore ardens, & quod in Romanorum eruerit poteſtatem, & ab amatore ſuo divulſa ſit, incredibiliter mœrens, inopina quidem voluptate tangitur, viſo eo præter ſpem; at viſo eo inter captivos, acerrimis itidem premitur angoribus. Plurimum

De Athenagoræ judicium.

abeſt operis ſolutio, etſi Machinâ carens, ab hujus exordii præſtantia. Non ſatis ea movet animum; ſeſeque aſſerit, nondum ſatis excitata & arrecta Lectoris curioſitate & impatientia; Subſultímque & abruptè procedit. Qui vero eam præcedunt caſus, etſi feliciter excogitati, neque ſatis inter ſeſe, neque ſatis cum actione præcipuâ cohærent. Hi animum pauliſper commovent, ſed tot interpoſitis intervallis, ut non inflamment; & quæ commotionem hanc ſedare debet operis explicatio, induſtriè accita, & ſemper aucta ingenioſâ novorum eventuum induſtriè & ſolerter diſpoſitorum connexione, eum frigentem reperit, languentem, omnis affectûs & curioſitatis expertem. Autor ipſe ad calcem operis, à primâ illâ & religioſâ regularum obſervatione ita degeneravit, multis ut in rebus eam legem unitatis, quâ actio continetur, & ad quam totus liber decimus propriè referri nequit, infringat. Et in eundem errorem incidit, ac Poëta ille temporum horumce, qui Epopoeæ regularum inſcius Æneidos argumentum imperfectum eſſe putavit; & quò Æneæ conjugium & mortem ſubnecteret, ſupplementum adjecit. Cæterum Theogenem non probo, fide Regi Scytharum datâ non ſtantem, atque hoc flagitio exultantem. Minime id honeſtum hominem quemcunque, nedum heröem decet. Charis quoque

quoque ſuam heröinæ perſonam non ſatis ſuſtinet, in eâ, quam ſcribit ad Octavium epiſtolâ diſſimulationibus & mendaciis plenâ. Quin & ipſa ſuum ideo tantùm videtur celare conjugium, quòd ſua ſibi conſcientia exprobret, ea omnia, quæ decorum ſpectant, in hoc parum religioſe obſervata. Præterea in iis quæ ab Auctore adnotata paſſim & deſcripta ſunt, & in perſonarum moribus, quas inducit, oppidanam quandam agendi rationem, earum & dignitati & ætati parum congruam cerno. Sed quod multò graviùs ab eo peccatum eſt, ſuam architectonicæ artis peritiam ad faſtidium uſque oſtentat. Quod hac de re ſcripſit, alio in loco omnium mereretur admirationem; illic vero maximè vitioſum eſt, atque præpoſterùm. Palatia & Templa, quæ in Fabulis quibuſdam Romanenſibus, felici penicillo depicta viderat, cum in hunc errorem videntur induxiſſe. Verùm aliud eſt ea deſcribere, ut Fabulatori Romanenſi decet omnia ad argumentum ſuum referenti, & actionem ſuam præcipuam ſemper intuenti; quemadmodum Montemayor Feliciæ deſcripſit Palatium: aliud eſt ea deſcribere Architecti more, & conſilii ſui immemorem partes ſingulas & artis minuta conſectari, uti præſtitit ſuppoſititius ille Athenagoras. Quod vitium adeo capitale eſt ut ne vitio quidem vertantur fabulatori aut poëtæ errores qui-

V 2 dam,

dam, in leges artis non ſuæ admiſſi. A Chronologiâ & ab hiſtoriâ impunè poſſit vates aberrare, modò ne ſupinùs cadat: & qui Virgilio violati temporum ordinis dicam impingere vellent, ii certè imperiti altercatores haberentur. Contrà in affectationem ridiculam & in pædagogicam ſcientiæ ſuæ oſtentationem poëta ille incideret, qui verbis venationi, navigationíque propriis, aliíſque ſimilibus paucorum uſui accommodatis verſus ſuos referciret: Nam ut vati communes opiniones ſequendæ ſunt, trita etiam verba uſurpanda, & artes tantùm attingendæ, quantùm aut ad ſuæ narrationis intelligentiam, aut fabulæ ornamentum proſunt, nec ultra præſcriptos popularis peritiæ fines evagandum. *Non debet præterea Poëta*, ait Giraldus, *in fabricis ædificiorum deſcribendis architecti nomen laudémque affectare, adeo ut dum minima quæque ad artem pertinentia anxiè nimis conſectatur, potiora alia, quæ ſpectant ad officium partéſque poëtæ, imprudens omittat: quod in primis propoſitum habere debet, ſi veram laudem perſequitur. Adde quod rerum hujuſmodi illiberalium vileſcit deſcriptio, plurimúmque ab Heroïci poëmatis dignitate, & uſu recedit.* Atque in hoc etiam magnum invenio in hoc opere ſuſpectæ falſitatis argumentum. Sciunt omnes Cardinalem Arminiarum Architectonicæ arti impenſe fuiſſe deditum. Philander Vitruvii com-

commentator ipſi cliens erat addictiſſimus, vir certè in ea arte ſeculi ſui ſcientiſſimus, & literis quoque, quas humaniores vocant, ornatiſſimus. Quid quòd Architectura falſi illius Athenagoræ ad architecturam Vitruvii quadrat aptiſſimè? An non igitur quis meritò poſſit ſuſpicari Philandrum, quò ſuas opiniones aliquâ antiquitatis autoritate fulciret, docti hujuſce doli fuiſſe machinatorem? Citò patuiſſet dolus, ſi ex Philandri manibus, vel ex Cardinalis ipſius palatio tractatus de Architecturâ palàm & apertè prodiiſſet. Quas ſuſpicionis umbras ut à ſe procul amoveret, Lectoréſque velut in alias terras longè deduceret, amatorium opus ſcripſit, & in eo velut obiter artis ſuæ præcepta inſeruit, diſſimulatóque ſuo nomine, Protonotarium Lamanæum, qui opus produceret, & Fumæum, qui Gallicè verteret, ſolerter adhibuit. Eos ſupra adnotavi autores, ex quibus materiam ſcriptionis ſuæ potiſſimum deprompſit. Heliodorum in primis tanquam profectiſſimum Fabulæ Romanenſis exemplum ſibi delegit imitandum. In nominibus actionibúſque Theogenis & Charidis Theagenem & Charicleam agnoſcas. Theogenes & Charis die Minervæ; die Apollini ſacrâ Theagenes & Chariclea ſeſe viderunt, mutuoque amore flagraverunt; ut & Leander & Hero, Celadon & Aſtræa die feſtâ Veneris; Selvagius itidem

Heliodori imitator Athenagoras.

dem & Yſmenia in Montemayoris Dianâ ſeſe Minervæ feſtivitate pariter amaverunt. Athenagoras Harondatem quendam Ægypti inferioris, Heliodorus Ægypti pariter rectorem facit Oroondatem. Ut Charis Theogenis, ita & Chariclea Theagenis ſe ſororem eſſe ſimulat. Scythæ apud Athenagoram explorandæ puellarum virginitatis rationem quandam habent, eámque inuſitatam, & naturæ leges ſuperantem, quam in Charide experiuntur. Habent & Æthiopes apud Heliodorum, cujus & in Chariclea faciunt periculum. In hoc illum Achilles Tatius, ſicut & Fabulatores Romanenſes, antiqui & recentiores, & ipſe Urſæus non ſemel imitatus eſt. Aquæ illæ amaræ, quibus Dei juſſu Hebræi ad probandam mulierum maritis ſuis ſuſpectarum caſtitatem utebantur, hanc Heliodoro cogitationem injecerunt. Athenagoras de Smaragdis Scithiæ, ut Heliodorus de Smaragdis Æthiopiæ ſibi loquendum eſſe duxit. Athenagoras Theogenem à Scythis, Heliodorus Theagenem ab Æthiopibus immolandum eſſe fingit. Denique Heliodori inſtar, ſuum opus Athenagoras in libros decem diſtribuit. Is à quo ſuppoſitum hunc habemus autorem, eum Heliodoro ſimilem facere non contentus, fecit adhuc & æqualem, ut notavimus. Nullum aliud eligere tempus poterat, in quo Fabularum Romanenſium ſtudium magis flore-

floreret. Nam S. Hieronymus, qui vixit iiſdem temporibus, graviter conqueritur, quòd ſcientiæ ſolidiores, utilioréſque, his ut daretur opera, dehererentur.

Non hîc inter Fabulas Romanenſes Damaſcii Ethnici Philoſophi, qui Juſtiniano imperante claruit, Paradoxorum libros reponendos eſſe arbitror. Etenim quum Photius ait hunc Antonii Diogenis fabulatorum Græcorum prope omnium anteſignani, ſecutum eſſe veſtigia, intelligendum eſt hunc, illius inſtar, hiſtorias ſcripſiſſe parum credibiles & fabuloſas, ſed neque Romanenſes, neque ad hujus characteris formam accedentes. Ea nempe tantùm erant ſpectrorum & lemurum viſa, & naturæ incogniti eventus aut crediti temerè, aut parum ingenioſè ficti, autoris impietate & animo idolorum cultui dedito ſatis digni.

An Damaſcius inter Fabulatores Romanenſes reponendus?

Ducentis poſt Damaſcium annis Barlaami & Joſaphati hiſtoria à S. Joanne Damaſceno elaborata eſt. Codices plerique Manuſcripti, iique antiqui, Joanni Sinaitæ, qui, Theodoſio imperante, vixit, hoc opus adſcribunt; ſed id fundamento carere probat Billius: nam inſertæ huic operi diſputationis adverſus Iconoclaſtas, tunc nondum agitatæ fuerant, & non niſi longo pòſt tempore ab Imperatore Leone Iſaurico, ſub cujus imperio floruit S. Joannes Damaſcenus, cœptæ ſunt agitari.

An etiam S. Joannes Damaſcenus.

Ea Fabula Romanenſis quidem eſt, ſed pia; de amore agit, ſed Divino; plurimùm hîc ſanguinis effuſum eſt, ſed Martyrum; ad hiſtoriæ normam, & ex Fabulæ Romanenſis legibus opus illud elucubratum eſt. Nihilominùs tamen etſi veriſimilitudo ibi ſatis accuratè obſervata eſt, tot tamen figmentorum præfert indicia, ut qui ſeriâ animi cogitatione opus legerit, is confictum eſſe nunquam ſit iturus inficias: Joſaphatum Indorum Regis filium fuiſſe fingit, in Indiis caſus illic narratos contigiſſe, & quoſdam Æthiopas homines pios & veraces, qui eam in tabulis quibuſdam nullius falſitatis ſuſpectis didicerant, ſibi narraſſe. Æthiopas vocat Indos, Æthiopiámque cum Indiis complurium antiquorum more confundit. Perſonis tamen pleriſque quas inducit, nomina Syriaca, hoc eſt ex populari ſua lingua affingit. Non quòd ego omnia hîc ſuppoſita eſſe contendam: Barlaamum aut Joſaphatum qui diffiteretur umquam fuiſſe, is temeritatis arguendus eſſet. Martyrologii eos in Sanctorum numerum adſcribentis teſtimonium, & pia eorum ſuffragia, quæ ad operis ſui calcem S. Joannes Damaſcenus implorat, hac de re ſinunt dubitare prorſus neminem. Nec forſan hujus hiſtoriæ primus inventor extitit. Ejus credulitas ſatis oſtendit, quæ credenda proponebat, ea ipſum credidiſſe, & eorum, quæ ſcripſerat, partem re-

verâ

verâ à quibuſdam accepiſſe. Cæterùm ingenti parabolarum, comparationum, & ſimilitudinum hîc ubique luxuriantium ſegete, Romanenſe ſuæ gentis ingenium ſatis prodit. Et hoc opus ſive ob ſtyli elegantiam, ſive ob inventionis gratiam, ſive ob pietatem, à Chriſtianis Ægyptiis ita probatum eſt, id ut linguâ Copticâ verterint, & in ipſorum Bibliothecis ſatis frequenter reperiatur. Si modo, ea interpretatio dicenda eſt. Quippe forſan alia quædam eſt archetypa hiſtoria de duorum horumce Sanctorum vitâ conſcripta. Eſt etiam, quò ſuſpicer Ebn-Tophailum in ſuo Romanenſi figmento Arabice ſcripto ad exemplum inſtitutionis Joſaphati, Herois ſui educationem, & fortuitam eruditionem, etſi multùm diverſam, adumbraſſe.

Theodorus Prodromus Fabulator Romanenſis.

Theodori Prodromi Fabula Romanenſis, & ea, quæ tribuitur Euſtathio Theſſalonicenſi Epiſcopo, qui imperante Emmanuële Comneno, medio circiter duodecimo ſeculo florebat, ſunt fere ejuſdem farinæ. Prima Doſiclis & Rhodanthes, altera Hyſminiæ & Hyſminæ, unde Montemayor Yſmeniæ nomen deſumpſit, amores complectitur. Utramque interpretatione & notis illuſtratam publicavit Gaulminus. Cum verò de Euſtathio in Præfatione libri ejus nomine inſcripti tacuerit, hoc ejus ſilentium boni conſulo, ac facile exiſtimo eum, qua erat eruditione, in virorum quorum-

An auctor Fabulæ de amoribus Hyſminiæ & Hiſminæ dici debeat Euſtathius, an potiùs Eumathius, & quid de eo ſentiendum.

dam errorem non incidiſſe, qui hunc eruditiſſimum Homeri interpretem eum eſſe, qui tam ineptum & inſulſum opus edere potuerit, ſibi perſuaſerunt. Et re quidem ipsâ manuſcripti quidam codices autorem Eumathium, non Euſtathium vocant. Ut ut eſt, nihil hoc opere frigidius, nihil humilius, nihil injucundius & inſuavius: decorum hîc nullum, nulla veriſimilitudo, inventio nulla, nulla rerum diſpoſitio. Heroëm toto opere loquentem, ſuoſque narrantem caſus inducit: neque tamen agnoſcas quem alloquatur, aut qua occaſione, hæc diſſerat. Atque ea ſane ita recitat, ut rerum geſtarum ordinem, ex artis præſcripto ſcienter & peritè non immutaverit. Prior amat Hyſmina, prior amorem & fatetur & offert ſine modeſtiâ, ſine pudore, ſine arte: Atque his blanditiis neque monetur Hyſminias, neque reſpondet. Laudabile id quidem eſt, ſi ad legis Moralis Philoſophiæ; ineptum ſi ad Romanenſia præcepta exigatur. Crathiſthene fido Hyſminiæ amico, ipſiúſque inter tot caſus comite quid fiat incertum eſt. Poſtquam eum navi ductor impoſuit, eum illic velut oblitum deſerit, neque ullam ejus præterea mentionem facit. Quid plura? illud rudioris tyrunculi opus eſt, aut Sophiſtæ alicujus imperitioris, cujus manus ferulæ nunquam foret ſubducenda. Paululum huic antefe-

teferendus eſt Theodorus Prodromus; qui etſi parum, tamen paulò plus artis & ſalis habet: per machinas tantùm conſilia evolvit, & in tribuendo perſonis, quas inducit, decoro, & propriâ actionum convenientiâ plane ineptus eſt. Prolixa illa, quam ad exercitum Bryaxis habet, oratio, & Rhodantes ob amantis abſentiam querelæ, adeo inamœnæ ſunt & moleſtæ, ut nullus unquam Declamator tam indiſerta & frigida eloquentia Auditores enecuerit. In operis ſui diſpoſitione Homerum ſuperare voluit: nec enim contentus narrationem à media rebus inchoare, & priora alicui ex præcipuis actoribus recitanda tradere; Doſicli partem tantum poſtremam rerum directe narrandam tradit; priorem vero ratione quadam obliqua, dum in ipſo videlicet narrationis contextu ea referre fingitur, quæ jam alteri recitaverat. Sed nimiâ ſubtilitate artem corrupit, & dum narrationi narrationem inſeruit, totum opus confudit & implicavit. Et hic & Euſtathius Achillem Tatium tranſcribunt potiùs, quàm imitantur. Nequidem Panthiæ & Soſthenis nomina ab ipſo mutuata interpolarunt: Quamobrem ex ipſo exemplari de his operibus arbitrium fieri poteſt. Heliodorum illi eminùs quidem, ſed ſemper tamen intuebantur. Imitanda ſibi quoque propoſuere nonnumquam Longi Paſtoralia, ſi modò iis antiquior Longus eſt: nam

Theodorus & Euſtathius Achillis Tatii imitatores inepti.

nam quâ ætate vixerint, parum liquet. Ab hoc Euſtathius ſumſiſſe videtur hoc elegans urbanitatis genus, quâ Hyſminam pocula miniſtrantem induxit, & qua parte poculi labra delibans labris ſuis ipſa tetigerat, eadem Hyſminiæ bibituro tangenda leniter offerentem. Videtur & Longo nomen ac officium debere Bryaxus ille à Theodoro Prodromo celebratus. Cui & Luciani Tractatus de Lapithis, Mimi Satyrionis in convivio canentis, ſaltantíſque nomen, perſonam, & figuram ſubminiſtravit. At eidem, quòd gladii hujus artificioſi, quo ſatyrion ſibi necem afferre ſimulat, inventionem Petronio debeat, non imputabo, neque etiam Achilli Tatio, à quo id deſumſit. Linguam Latinam Græci non tanti faciebant, eam ut vellent ediſcere, aut Romanorum libros evolvere. Et tamen ut ut vitiis, quæ notavi, abundat Euſtathii fabula, imitatorem habere meritus eſt ſe longè periorem. Urſæum intelligo, cui fons Dianæ, qui Artycomide fuit, anſam procul dubio præbuit excogitandi fontis illius, cui ab amoris veritate nomen finxit. Opus Prodromi non tam fabula, quàm poëma dici debet, quippe numeris adſtrictum eſt, & hanc ob rem in eo ſtylus ille nimis figuratus, nimíſque audax magis ferendus eſt. Nihilominùs cum Jambici ſunt hi verſus, atque ideo proſæ orationi propiores, adeo ut proſa metrica vocari poſſint,

poſſint, ex hoc Fabulatorum albo ipſum non expungimus. Ruſſiâ oriundum eſſe contendit Gaulminus, eundemque fuiſſe Sacerdotem, Medicum & Philoſophum, De Philoſophi nomine aſſentior, quoniam in alio ex ſuis operibus id ipſe de ſe prædicat: quod ſpectat cætera, quo fundamento nitatur Gaulminus non video; eum tantùm familiâ Chriſtianâ natum, & Chriſtianæ pietatis rudimentis inſtitutum eſſe, & patruum habuiſſe Ruſſiæ Epiſcopum invenio. Uter fuerit recentior hic, an Euſtathius, ac proinde uter alterum ſit imitatus, divinando aſſequi non poſſum.

Longus Fabulator Romanenſis. & quid de eo ſentiendum.

Non idem omnino de Longi paſtoralibus, ac de duabus iſtis Romanenſibus Fabulis ſentio. Enimverò quanquam ex affectato verborum concurſu, & Syllabis conſonantibus, vaniſque deſcriptionibus, quas ex communibus locis duxit, Sophiſtæ character, qualis ipſe fuit, ſatis agnoſcitur, emendatior tamen autor ille eſt, quam plerique veterum fabulatorum Romanenſium, quorum ſtylus Metaphoris plenus, antitheti ſque & figuris hiſce ut ita dicam micantibus, quæ rudiorum oculos perſtringunt, deliniunt aures, nec animum implent; quorum, inquam, ſtylus oratoris habet aliquid, aliquid hiſtorici, nihil verò, quod huic aut alteri prorſus conveniat. Quum illi eventuum novitate, diſpoſitione rerum

rerum ac varietate, & perſpicuâ preſſâque narratione, quæ tamen juſto quodam ambitu numeroſè feratur, ſempérque ſuſceptam materiam proſequatur, Lectorem detinere deberent, hunc morantur deſcriptionibus floridis; verborum inanitate turgentibus, *inopibus rerum*, ut Horatiano more loquar, *nugíſque canoris*. Avertunt eum à viâ tritâ, & dum Lectori tot regiones ipſi non quæſitas oſtendunt, conſumunt, terúntque ejus attentionem, & eam cupiditatem, quâ properabat ad optatam metam, ſibique propoſitam. Non totus caret hoc vitio Longus, ſed quaſi id agnoſcens breves tentat excurſus, & citò ad iter inceptum redit. Præterea ſtylus ipſius ſimplex eſt, facilis, clarus, & ſine obſcuritate conciſus: ejus dictio acuminis & ſpiritûs habet plurimùm; ingenioſus eſt in inveniendo, amœnus in deſcribendo, induſtrius atque ſolers in diſponendis imaginibus; obſervati ſunt accuratè mores actorum atque characteres; è re ipſâ naſcuntur epiſodia: affectus & ſenſus amatorii ſatis quidem paſtorum ſimplicitati, ſed Romanenſis Fabulæ regulis parum conſentiunt: putà quum Daphnidem fingit imprudentem & inſcium fidem violaſſe. A veriſimilitudine raro recedit; niſi quum machinas nullo judicio adhibet, quæ operis ſatis felicem aliunde, ſatíſque amœnam ſolutionem fœdavére. Pejus etiam vitium

vitium eſt perverſa & præpoſtera operis œconomia. A paſtorum cunabulis ineptè orditur, & vix in eorum nuptiis deſinit: ad eorum uſque liberos, imò & ſenectutem ſuâ narratione progreditur. Opus alioqui tam obſcænum eſt, ut qui ſine rubore legat, eum Cynicum eſſe neceſſe ſit. Multa agnoſci queunt, quæ aut ille ab aliis, de quibus actum à me eſt, aut alii ab illo deſumſerunt. De eorum enim ætate dubitatur. Nullus antiquorum de eo meminit, & in eo nullus datur conjecturæ locus; niſi quòd extersâ ipſius elocutione duobus aliis ſuperioribus vetuſtior judicari poteſt. Quum puer eſſem, hunc autorem Latinè interpretandum ſuſcepi, cum nondum ſatis haberem exploratum, quid in eo laudabile eſſet, quid vitioſum; & quantum ejus lectio pueritiæ damnoſa ſit, quam parum etiam ætati provectiori decora. Veriſimile mihi ſit Urfæum ab eo paſtoralium ſuorum ideam eſſe mutuatum: aut ſi eam, ut alia pleraque, & ipſum etiam Sirenii ſui argumentum deſumſit, vel à Montemayoris Dianâ, vel ab Amyntâ Taſſi, vel à Paſtore fido Guarini, quem etiam haud conſtanter explicavit, vel ab aliquibus Italorum paſtoralibus fabulis, ex quorum ingenti copiâ Bartolus Urbinas uſque ad octoginta collegit; Longus, quem hi probabiliter ſecuti ſunt, omnibus velut facem prætulit. Quanquam Theocriti Idyllia, Virgilii-

Unde Paſtoralia primò ſtanxerint?

giliique ac tot poëtarum Græcorum ac Latinorum eclogæ eos in excogitandis & confingendis operum ſuorum argumentis multùm adjuvêre: & ut altiora repetamus, quæ in hoc genere veterum Hebræorum ſuperſunt monumenta, quorum lepores & veneres imitari quidem conabitur quivis, aſſequitur nemo, primarii ſunt fontes, unde omnia Paſtoralia, velut totidem rivi fluxerunt. Quod quidem ab Italis haudquaquam obſervatum eſſe miror: nam ſi feciſſent, non Taſſo, ut Manſus, non Beccaro, ut duorum autor veratiorum, inventum hoc acceptum retuliſſent. Quamvis, ut fatear ingenuè, ejus exhibuiſſe conditionis actores, cujus nulli hactenus extiterant, poſtquam tot alii diverſæ ſortis in veterum Comœdiis viſi ſunt, ſæpiuſque paſtores Fabularum Romanenſium argumentis ſunt adhibiti, hoc utique inventum, non tam admirabile eſt, ut eâ de re ſit tantoperè decertandum. Qui Comœdis per provincias curſitantibus, aut civibus oppidanis Fabularum ſuarum Romanenſium perſonas impoſuere, non minus ingenioſè feciſſe mihi videntur. Et figmentum nobilis illius ruſticani, quem Fabularum Romanenſium lectio adegit ad inſaniam, quique ſe *Paladinum* faciens, à Romanenſibus concelebratos Equeſtris Ordinis ritus ridiculos reddit, plus certè ingenii habet, atque novitatis. Sed ad propoſitum

Italorum error ſuper ea re.

meum

meum redeo. Quod pertinet ad Xenophontes illos Fabularum Romanenſium conditores, de quibus loquitur Suidas, nihil iis, quæ ab eo dicta ſunt, poſſim addere. Unus fuit Antiochenus, alter Epheſius, tertius Cyprius. Hi omnes hiſtorias amatorias ſcripſere. Primus librum ſuum Babylonica inſcripſit, ut Jamblichus; ſecundus ſuum Epheſiaca, & decem libris Habrocomæ & Anthiæ amores complexus eſt: tertius opus ſuum Cypriaca nuncupari juſſit, quo Cynaræ, Myrrhæ, & Adonidis amores retulit. Charitonis Fabula Romanenſis in Vaticano aſſervata, mihi tantùm nomine tenus cognita eſt: ſed ejus qui de Callimachi & Chryſorrhoës, aut alterius, qui de Lybiſtri & Rhodamnes amoribus ſcripſit, etiam nomina ignorantur. Ego tamen ex locorum, quos Meurſius citavit, phraſi Barbarâ recentiores judico, etſi prioris dictio plus habeat veteris elegantiæ, minúſque verborum linguæ Græcæ vulgaris. Uterque verſibus ſcripſit politicis, qui numero tantùm & metro à proſâ diſcrepant, ſed qui recentioribus Græcis mirificè placuerunt.

Xenophontes Fabularum Romanenſium autores Chariton & alii.

Neque verò mihi prætermittendus eſt Parthenius Nicenus, qui librum *De affectibus amatoriis* compoſitum, poëtæ Cornelio Gallo, Auguſti temporibus dicavit. Pleræque fabularum, quas commemorat, ex vetere Mythologia, & ex priſcis, quos laudat, au-

Parthenius Nicenus.

toribus depromtæ ſunt. Nonnullæ mihi videntur Romanenſes, & ex Mileſiis ductæ, ut quas de Erippe & Xantho, capite octavo; de Polycrite & Diogeneto, capite nono; de Leucone & Cyanippo, capite decimo; de Neærâ, Hypſicreonte, & Promedonte, capite duodevigeſimo retulit: etenim præter quam quòd hi caſus perſonis tribuuntur Mileſiis, hos neque ex fabulâ, neque ex hiſtoriâ antiquâ deſumtos eſſe conjicias. Et forſan etiam Cauni & Byblidis, qui Urbis Mileſiæ conditoris filii erant, amores undecimo capite relati, ſunt gentis illius populare figmentum, quod poſtea concelebratum, & in Mythologiâ conſecratum eſt. Id quod à nobis tamen ut levis tantùm conjectura proponitur. Cæterum ii omnes, quos ex Autorum teſtimonio, de amore in ſuis libris egiſſe accepimus, Fabulatorum Romanenſium nomine non ſunt appellandi. Pauci eſſent Philoſophi veteres, qui non in hunc cenſum venirent. Sed quamvis & hi & illi de cauſis, de naturâ, de effectis, de remediis amoris differant, ad hanc tamen metam tendunt omnes viis tam diverſis, ut confundi nequeant. Poëtarum etiam veterum, ut Bacchylidis & Capitonis Erotica non magìs, quàm Ovidiani de amore libri poſſunt Fabulæ Romanenſis definitione comprehendi.

Quæ ſint perfecta In inſtitutâ mihi modò enumeratione Fabulas Romanenſes ad præſcriptum artis accurate

rate exactas ab imperfectis diſtinguendas putavi. Eas dico, quæ ex Pöematis Heroïci regulis elaboratæ ſunt. Græci, qui pleraſque doctrinas & artes ita perfecerunt ac conſummarunt, earum ut inventores habiti ſint, artem quoque Romanenſem excoluêre, ipſámque rudem, uti erat apud Orientis populos, & incultam ad meliorem formam ſpeciémque traduxêre, dum Epopoeæ legibus eam adſtrinxerunt, & velut in unum corpus conjunxerunt diverſas ac diſſipatas partes, quæ ante illos Fabularum Romanenſium naturam conſtituebant. At non hi omnes, ſed tantùm Antonius Diogenes, Lucianus, Athenagoras, Jamblichus, Heliodorus, Achilles Tatius, Euſtathius, & Theodorus Prodromus hiſce regulis ſervierunt. Nihil dico de Lucio Patrenſi, nihil de Damaſcio, quos ex Fabulatorum Romanenſium numero ſecluſimus. Quod ad S. Joannem Damaſcenum, & Longum attinet, ad haſce regulas opera ſua facilè quidem exegiſſent, ſed aut ignoravêre ipſas aut contempſere. Quâ ratione tres illi Xenophontes, & alii, quorum opera periêre, atque etiam Ariſtides, aliique fabularum itidem Mileſiarum ſcriptores id egerint, neſcio. Mihi tamen perſuadeo poſtremos hoſce certis adhæſiſſe legibus; idque ex monumentis, quibus tempus pepercit, ad eorum imitationem compoſitis, qualis

Fabulæ Romanenſes, & qui autores harum regulis ſervierint?

lis eſt Apuleiana Metamorphoſis ex artis ſanctionibus ſatis accurate elaborata conjici poteſt.

De Fabulis Mileſiis, quæ à Sybaritis in Italiâ compoſitæ ſunt.

Hæ fabulæ Mileſiæ multò antequam in Græciâ, ea qua dixi ratione florerent, jam in Italiam pervenerant, eáſque jam Sybaritæ natio, ſupra quàm cogitari queat, voluptatibus dedita, ſtudioſè exceperant. Hæc morum & ingeniorum cum Mileſiis ſimilitudo reciprocam inter ipſos luxûs & voluptatis ſocietatem conſtituit, eóſque ita conjunxit, ut nullos populos arctiori amicitiæ vinculo conjunctos noviſſe ſe affirmet Herodotus. A Mileſiis igitur artem figmentorum didicêre, & ut in Aſiâ fabulæ Mileſiæ, ita & in Italiâ fabulæ Sybariticæ celebrantur.

Quid ſint Fabulæ Sybariticæ?

Qualis earum forma eſſet, non facilè quis dixerit. Heſychius in loco ſatis depravato innuit Æſopi Fabulas, quum hic eſſet in Italiâ, adeo placuiſſe, ut in novam formam mutatæ, novaque acceſſione auctæ ſint, & Sybariticæ dictæ, ac in adagium tranſierint: At quâ in re nova illa mutationis ſpecies conſiſteret, non indicat. Eas Æſopi Fabulis ſimiles fuiſſe putavit Suidas. In hoc, ut ſæpe aliàs, hallucinatus eſt. Vetus Ariſtophanis interpres Sybaritas ait in ſuis fabulis beſtias, Æſopum homines adhibuiſſe. Hic certè locus corruptus eſt: ut enim in Æſopi Fabulis beſtiæ inducuntur, illud profectò conſequi debere cenſeo, in Fabulis Sybariticis homines eſſe inductos; id

quod

quod ipſe alio in loco expreſſè teſtatur. Hæ Fabulæ Sybariticæ facetæ erant, & ad riſum movendum comparatæ. Harum ſpecimen apud Ælianum inveni: fabella eſt, quam ſe ex Sybaritarum hiſtoriis, hoc eſt meo judicio, ex eorum fabulis ſe deſumpſiſſe ait. Tute ex hac ipſa judicabis. Puer Sybarites à Pædagogo ductus per viam & caricarum venditorem nactus unam è gaulo abſtulit: ſuccenſuit pædagogus, & puero graviter increpito caricam extorſit, quam & mox deglutiit. At non facetiis tantùm hæ fabulæ, ſed & laſciviis abundabant. Ovidius Sybaritida paulo ante tempora ſua compoſitam inter opera obſcœniſſima reponit. Multi eruditi putant eum deſignaſſe Hemitheonis Sybaritæ librum, de quo Lucianus, velut de obſcœnitatum colluvie loquitur. Quod quidem quâ ratione dictum ſit non video: Sybaritis enim nullam aliam cum Hemitheonis libro affinitatem habere mihi videtur, quam uterque liber luxuriæ fœtus erat, id quod omnibus Sybaritarum fabulis commune erat. Huc accedit, quòd Sybaritis paulo ante Ovidium in vulgus emanaverat, & Urbs Sybaris Hemitheonis patria quingentis ante ipſum annis à Crotoniatis funditus deleta fuerat. Quippe Hemitheon vocari non potuit Sybarites, tanquam civis oriundus Thurio (quam urbem Athenienſes prope Sybaris rudera condidere) ſiquidem

Sybaritis opus obſcœnum.

ex uſu communi Thurinus potiùs, quàm Sybarites fuiſſet nominatus. Veritati itaque magis conſentaneum eſt ganeonem aliquem & diſſolutum Romanum compoſuiſſe Sybaritidem, háncque ſic eſſe vocitatam, quod ad vetus fabularum Sybariticarum exemplar efficta ſit: quemadmodum libri ſimiles plerique ſub Imperatoribus eodem modo inſcripti ſunt. Antiquus quidam autor, quem tu noſſe flocci duxeris, earum ſtylum brevem & Laconicum fuiſſe innuit: ſed ea omnia non probant has fabulas quidquam artis habuiſſe Romanenſis.

Fabulæ Sybariticæ à Romanis receptæ, & Mileſiæ, Ariſtidis, a Siſenna Latinitate donatæ.

Hic Ovidii locus ſatis demonſtrat Romanos ſuâ ætate fabulas jam recepiſſe Sybariticas, & in eodem libro nos docet nobilem Hiſtoricum Siſennam paulò antè in eorundem Romanorum gratiam fabulas Ariſtidis Mileſiacas Latinitate donaſſe. Syllæ temporibus claruit ille Siſenna, vir certè perinde ac Sylla ex magnâ & illuſtri Corneliorum gente prognatus. Siciliæ Prætor fuit atque Achaiæ. Suæ patriæ hiſtoriam condidit, cunctíſque Romæ Hiſtoricis, qui præceſſerant, antecelluit. Apologus Menenii Agrippæ, quo ad placandam populi Romani ſeditionem, cúmque è Monte Sacro revocandum uſus eſt: apologus ſenioris Antiphonis; quo, ea quæ tam turpiter & inhoneſtè à genero ſuo in Plauti Sticho petebat, diſſimulavit: apologus deni-

denique Æſopi ab Aulo Gellio citatus, & ab Ennio in Satiris tranſlatus verſibus quadratis eodem numero, ac illi ſunt, quos Græci recentiores Politicos dixêre, certiſſimè declarant in Rep. Romanâ multùm figmenta placuiſſe.

Romani Fabularum Romanenſium amantes poſtquam ab Imperatoribus regi cœperunt.

Si ea Reſpub. horum uſum, & fabularum Sybariticarum lectionem non dedignata eſt, tum cùm auſteriore diſciplinâ, moribúſque rigidioribus uteretur; nihil eſt, quòd quis miretur, eam, poſtquam Imperatoribus ſubdita eſt, & eorum exemplo vitæ molliori & deliciis ſeſe dedidit, gratâ Fabularum Romanenſium animos titillantium amœnitate eſſe delinitam. Virgilius, qui paulò poſt Imperii naſcentis cunabula floruit, Naïadas Fluvii Peneï filias, quum ſub aquas paternas convenêre, non aliam jucundiorem quæſiviſſe voluptatem ſcribit, quàm in narrandis Deorum amoribus, quibus conſtabant veterum Fabulæ Romanenſes. Virgilio æqualis Ovidius Minei Filiabus Romanenſes itidem attribuit Fabulas, quum manibus labore occupatis linguæ & animi libertate fruerentur. Primus eſt Pyrami & Thisbes amor: alter Martis & Veneris: tertius Salmacis Hermaphroditum depereuntis.

Hinc quidem videre eſt, quanti Roma Fabulas Romanenſes fecerit: ſed clariùs etiam ex eâ ipsâ hujus generis Fabulâ dignoſcitur,

Petronius fabulæ Romanenſis autor, & quid de eo ſentiendum?

quam Petronius Conſul, & vir ſuæ ætatis elegantiſſimus & cultiſſimus compoſuit, in Satiræ ſpeciem; ex earum genere, quas Varro invenerat, verſibus proſâ, & ſeriis joco jucundè temperatis; quáſque Menippeas Fabulas nuncupaverat, quòd Menippus Cynicus res graves Stylo quodam faceto & ridiculo tractaſſet. Romanenſem tamen Fabulam vere dixeris hanc Satiram. Unde colligitur Romanorum Satiram cum Scriptis Romanenſibus magnam habuiſſe cognationem: in quo ipſi conveniebat cum poëſi Græcorum Satyricâ, quæ ex Platone, conſtabat figmentis, quorum ſenſus abſconditus à primâ & patente verborum ſignificatione multum diſcrepabat. Nihil igitur eſt, quòd quis miretur, Macrobium, quum fabulas ad voluptatem tantùm comparatas, ab iis, quæ docendo delectant, diſtingueret, in hac ultimâ ſpecie repoſuiſſe caſuum amatoriorum figmenta, hoc eſt Romanenſes Fabulas, & in exemplum Petronianam & Appulejanam attuliſſe, nullâ ſtatutâ differentiâ inter primam, quæ indubitanter Satira eſt, & inter ſecundam, quæ vel ipſius autoris conceſſu Fabula eſt Mileſiaca. Multùm ingenii & venerum habebat Petroniana, ac ſæpe turpitudinis obſcænitatíſque plurimùm, & quaſi ſub cortice ſubtilia & aculeata ſcommata in Aulæ Neronianæ vitia contegebat. Cum ſuperſtites operis hujus partes, nihil

nihil aliud ſint quam fragmenta ſine nexu, vel potiùs ſtudioſi alicujus collectanea, non ſatis dijudicari poteſt, & quæ totius operis forma, & compoſitionis ordo fuerit. Nihilominus tamen ea omnia rectè excogitata & prudenter diſpoſita videntur, & ex his partibus ſeparatis, cum iis, quæ deſunt, perfectum corpus coagmentatum fuiſſe probabiliter exiſtimari poteſt. Etſi Petronius ſummus criticus, & ſagaciſſimi in re litterariâ judicii fuiſſe videtur, huic tamen ſagacitati ſtylus ipſius non ſatis reſpondet. Hîc aliqua ſeſe prodit affectatio: nimiis pigmentis, nimiâ abundat diligentiâ, & jàm ab illâ naturali ac venerabili felicium Auguſti temporum ſimplicitate degenerat. Uſque adeo narrandi ars, quam exercent omnes, pauci intelligunt, intelligitur tamen faciliùs quàm exercetur. Ipſius etiam etſi multa ſunt eleganter & exquiſite cogitata, tamen multa ſunt etiam, quæ frigent nonnunquam; & quiſquis animo affectibus vacuo ad ea attenderit, is certè in rebus & in verbis juſtam & aptam concinnitatem non ubique repererit. Sed qui ejus ſcripta ſic ponderent, pauci ſunt, & ita in eum affecti ſunt omnes, ut grata habeant quæcunque ab eo profecta ſunt, quia grata eſſe ſibi finxerunt. Ego verò auſim dicere, ſi per ejus admiratores liceat, eum, ſi plus habuiſſet pudoris lectorum minùs & adprobatorum fuiſſe

 habitu-

habiturum, neque plus alia re apud multos quam obſcœnitate valuiſſe.

Fabula Satica. Lucanus, qui Neronis etiam temporibus floruit, fabulas Salticas; hoc eſt, ut quidam putant, in quibus Satyrorum & Nympharum amores narrabat reliquiſſe memoratur. Hoc Fabulæ Romanenſis haud abſimile eſt, & Romanenſe iſtius ætatis ingenium meam auget ſuſpicionem. Sed an non conjici poſſet; quemadmodum Tertullianus Herodiadi Salticæ nomen, hoc eſt ſaltatricis indidit, ſic Lucanum ſuis fabulis idem nomen impoſuiſſe, quòd ad ſaltationis uſum compoſitæ fuiſſent, quaſi quis hodie Tripudiorum narrationes dicat. Quid ſi forſan Salticarum nomen depravatum eſt, & Pſalticæ vocandæ ſint, quaſi ad cantandum accommodatæ? Qualia ſunt quæ noſtrates *Opera* vocitant. De his nihil auſim affirmare, nec ſine temeritate quemquam tam infirmo nixum fundamento hoc facere poſſe reor.

Apuleiana Metamorphoſis & quid de eâ ſentiendum. Appuleiana Metamorphoſis, ſub Aſini aurei nomine adeo provulgata, Antoninis imperantibus edita eſt. Eandem ac Luciani Aſinus, nacta eſt originem, quum ex duobus primis Lucii Patrenſis Metamorphoſeos libris ducta ſit: hoc tamen diſcrimine, quòd hos libros contraxerit Lucianus, Appuleius amplificarit. Opus hujus Philoſophi ad artis regulas elaboratum eſt. Quanquam enim id

id à pueritiâ ſuâ videtur exordiri; quicquid tamen de ſua hac ætate diſſerit, id Præfationis ſpeciem habet, quò ſui ſtyli barbariem excuſet. Verum ipſius hiſtoriæ initium eſt iter Theſſalicum. Nobis Mileſiarum exemplar dedit hoc opere, quod hujus generis eſſe declarat. Epiſodiis pulcherrimis, & inter cætera Pſyches epiſodio omnibus cognito illud ornavit; nec, quas habebant exemplaria, quæ ſecutus eſt, ſordes & obſcœnitates reſecuit. Stilus Sophiſtam ſapit, affectatus, immoderatis & audacibus figuris turgidus, durus, barbarus homine Africano perdignus.

Clodius Albinus Imperator Mileſiarum ſcriptor.

Clodius Albinus Imperator, Severi æmulus & competitor laboris non aſpernatus eſt. In ejus vitâ refert Julius Capitolinus fabulas quaſdam Mileſias ejus nomine editas, ſatis quidem probatas, quamvis non ſatis laudabiliter ſcriptas, Severúmque ejus & victorem & interfectorem id Senatui exprobraſſe, quòd eum ut doctum virum laudaverit, licet fabulas tantùm Appuleji Mileſias legeret, & in fabellis anilibus, nugíſque ſimilibus, quas negotiis ſeriis præferebat, omne ſtudium, omnéſque vigilias collocaret.

Martiani Capellæ Satira.

Ut Petronius, ſic & Martianus Capella Satiræ nomine opus ſuum inſcripſit, quòd illius inſtar hoc opus & verſibus & proſâ ſcripſerit, & utile dulci miſcuerit. Quum apud ſe ſtatuiſſet de iis omnibus artibus, quas Libera-

berales vocant, agere, id ut faceret, arte quadam adhibita perſonas iis impoſuit, finxítque Mercurium, cujus eæ ſunt perpetuæ comites, Philologiam uxorem duxiſſe, hoc eſt artium ingenuarum amorem, & in nuptiale munus, quicquid his pulchrius ineſt, quicquid pretioſius, ipſi donaſſe. Adeo ut ea ſit allegoria perpetua, quæ non tam Romanenſis, quàm mere fabula dicenda eſt: nam, ut jam annotavi; exhibet fabula, quæ nec fuerunt, nec eſſe potuerunt; Romanenſis verò, quæ potuerunt eſſe, ſed quæ nunquam fuerunt. Nec ſubtilius eſt hujus allegoriæ artificium. Stylus barbaries ipſa eſt: tantâ audaciâ, tantâ figurarum inſolentiâ, ut vel in poëtâ omnium confidentiſſimo non ferendæ ſint: Stylus etiam tam ſpiſsâ caligine involutus eſt, vix ut explicari poſſit; doctus alioqui & non vulgari eruditione refertus. Africanus fuiſſe creditur; ſi non erat, eſſe debuit; uſque adeo horrido & coacto ſcribendi genere utitur. Incertum eſt, quo tempore vixerit; certum tamen eſt eum Juſtiniano fuiſſe antiquiorem, & ad Proconſulis evectum eſſe dignitatem.

Ob ignorantiam hiſtoriæ Fabuloſæ compoſitæ ſunt.

Hactenus doctrina Romanenſis aliquid ſplendoris retinuerat, ſed una deinde cum litteris & Imperii fulgore obſcurata eſt, quum ferociſſimæ ſeptentrionis Nationes ſuam ignorantiam & barbariem latè circumtulerunt. Antea

tea Fabulæ Romanenſes ad voluptatem compoſitæ fuerant: tum verò conditæ ſunt hiſtoriæ fabuloſæ, quia quum veritas ignoraretur, veræ ſcribi non poterant. Theleſinus inter Bardos, ob prophetias verſibus editas, à nonnullis repoſitus, quem circa medium ſeculi ſexti tempus regnante Rege Arturo Fabulis Romanenſibus celebrato vixiſſe ferunt, & Melkinus paulò junior, Britanniæ patriæ ſuæ, Regis Arturi, & Menſæ rotundæ hiſtoriam conſcripſerunt, eámque infinitis fabulis fœdarunt; ut in eo Catalogo, in quo eos annumerat, fatetur ipſe Balæus. Idem dicendum eſt de Hunibaldo Franco; qui, ut credidêre quidam, Clodovæo æquævus fuit, quíque ſi veritas propiùs ſpectetur, multò fuit recentior, & cujus hiſtoria nihil aliud eſt, quàm mendaciorum ineptè confictorum congeries. Devenimus tandem ad illuſtrem hunc de Caroli Magni factis librum, qui Archiepiſcopo Turpino (quanquam hoc ipſo poſterior eſt annis pluſquam ducentis) imperitè tribuitur. Pigna & alii quidam autores ſtultè ſibi perſuaſerunt, ab Urbe Rhemenſi, cujus ille erat Archiepiſcopus, Fabularum Romanenſium nomen eſſe deductum: quòd Celtæ, præclaris gentis ſuæ facinoribus canendis ultrò indulgerent; & Belgæ, in quorum agro Durocottorum Rhemorum ſitum eſt, utpote Celtarum omnium fortiſſimi, plura haberent canendi

Pigna & aliorum error de origine Romanenſium.

canendi argumenta, ideòque quum plures Bardi, hoc eſt plures cantores apud illos eſſent, hinc Fabulas Romanenſes nuncupatas eſſe, librúmque Turpini ſuo judicio fontem fuiſſe, unde Galloligurum fabulatores plus hauſerunt, hujúſque autorem Fabulatorum omnium Romanenſium principem extitiſſe. Quicquid ſit, ſuppoſitiæ aliæ hiſtoriæ complures ex Caroli Magni vitâ prodierunt, fabulis ineptiſſimis & mendaciſſimis refertæ, & earum ſimiles, quæ Turpini nomen præferunt; ſuppoſititiis hiſce fœtibus favente craſsâ ſeculorum illorum ignorantiâ. Tales erant hiſtoriæ attributæ Hanconi & Salconi Fortimano, Sivardo ſapienti, Joanni cujuſdam Friſorum Regis filio, & Adelo Adelingo ejuſdem nationis Regum ſtirpe prognato: qui omnes erant Friſii, quíque etiam Caroli Magni temporibus vixiſſe traduntur. Talis erat & hiſtoria Gildæ Monachi Vuallenſis nomine vulgata, qui tot de Rege Arturo, de Percevallo, & Lanceloto refert miracula: talis erat ea, quæ Occoni adſcribitur, qui ex opinione communi Othoni Magno Imperatori æquævus, & Solconis hujus à me modò laudati affinis fuit: talis denique erat hiſtoria Gaufredi Monumethenſis, in quâ Arturi & Merlini geſta deſcripta ſunt, ex memoriis veteribus fabuloſis Autori ſubminiſtratis, & nimiâ credulitate exceptis. Hiſtoriæ illæ ad arbitrium

An Turpinus Archiepiſcopus autor Fabulæ Romanenſis, quæ ipſi tribuitur?

Plures Hiſtoriæ ſuppoſitæ,

confictæ ſimpliciorum detinuêre lectorum animos, qui earum indoctis Autoribus longè adhuc erant indoctiores. Nulla igitur fuit ampliùs cura conquirendorum fidelium ad veritatem indagandam hiſtoriámque conſcribendam inſtrumentorum: cum ex ingenio ſuo ſuâque inveniendi facultate hiſtoriæ ſcribendæ materiam ſinguli eruerent. Ita Hiſtorici in Fabulatores Romanenſes degeneravêre. Latina lingua barbaris hiſce temporibus, uti & ipſa veritas deſpicatui fuit. Galloligurum Trobadores, Comici, Narratores, à quibus opera componebantur; *Cantatores*, *Jocalatores*, *Violardi*, & *Muſardi*, à quibus cantabantur; & demum regionis hujus homines à quibus ars illa exercebatur, quæ in quibuſdam Franciæ Auſtralis locis hodieque appellatur *le guay ſaber*, id eſt ſcientia feſtiva, cujus prima elementa ſub Ludovico Pio prodire cœperunt, Doctrinam Romanenſem Hugonis Capeti temporibus ſeriò aggreſſi ſunt, & totam Franciam percurrentes, ſuas Romanenſes ac fabellas expoſuêre, ſuas Tragœdias, Comœdias, & Paſtoralia carmina, Cantus, Cantilenas, & quos patrio ſermone nuncupant *Cantarellos*, *Sonos*, *Sonettos*, *Leſſus*, *Vircleſſos*, *Mota*, *Moteta*, cum gloſſis, *Solatia*, *Sextias*, *Syrventeſia*, *Deportationes*, *Moralia*, *Tenſiones*, *Baladas*, *Albadas*, *Martegallas*

Quæ in Fabulas Romanenſes degeneravêre.

tegallas, & multa alia Romano ſermone compoſita. Tum enim Galloligures literas & Poëticam magis, quàm Franci cæteri excolebant. Romanum illum ſermonem Romani in bullias à ſe ſubactas introduxerant; qui ſermo temporis deinde lapſu depravatus admixto ſermone Gallico, qui præceſſerat, & ſermone Francico, ſive Teutonico, qui ſucceſſerat, neque Romanus erat, neque Gallicus, neque Francicus, ſed mixtum quid, in quo Romana tamen loquela prævalebat. Hic ideo ſemper appellatus eſt Romanus, quò à privatâ & naturali uniuſcujuſque nationis linguâ diſtingueretur, ſive ea Francia eſſet, Gallica, quæ eadem & Celtica, ſive Aquitanica, ſive Belgica: has enim tres linguas inter ſe fuiſſe diverſas ſcribit Cæſar; id quod Strabo pertinere vult ad differentiam quandam, quæ inter diverſas tantùm ejuſdem linguæ Dialectos intercedebat. Romanenſe vocabulum Hiſpani eadem ac nos ſignificatione uſurpant, patriúmque ſermonem *Romanceum* vocant.

Cur Fabulæ illæ Romanenſes dictæ.

Quum itaque Romanus ille ſermo cæteris politior eſſet, doctior, & vulgo notior; Narratores Galloligures qui proſæ autores erant, & ejuſdem nationis poëtæ, quos *Troverras* vulgò appellabant (quod vocabulum Itali ab iis deſumpſére, ab iis enim poëtæ vocantur *Trovatori*, ut à Græcis ποιηταὶ, hoc eſt, factores: & linguâ Galloligurum *Trovare* verſificare

Hujus autores quanto in numero poſiti ſint? unde dicti Troverræ?

verſificare eſt, *narrare* & *componere* eſt proſâ ſcribere, & *Romaniſare* utrumque ſignificat). Narratores, inquam, & *Troverre* Galloligures Romano hoc ſermone uſi ſunt, ut proſam & poëmata ſcriberent, quæ inde fabulæ dictæ ſunt Romanenſes: Ut contrà hic ſermo Romanenſis Galloligurum ſive Provincialium proprius dictus eſt, non ſolum quòd in hac Provinciâ minùs, quàm in aliis Franciæ regionibus corruptus fuiſſet, ſed etiam quod Provinciales eodem hoc ſermone in componendis operibus ſæpiùs uterentur: aut etiam, quòd quum hæc Provincia ſemper cenſeretur Romanorum Provincia, Provincialis, Romanuſve eſſet ille ſermo, nullo diſcrimine haberetur. *Trobatores* ſuis aulœdis & fidicinibus, & nonnunquam ſuis conjugibus eandem artem exercentibus comitati, ſic orbem peragrabant, magna laborum ſuorum ferentes præmia, & à Proceribus, quos viſebant, lautè excepti, quorum nonnulli tantam iis audiendis percipiebant voluptatem, ut ſuas non raro exuerent veſtes, quibus eos induerent. Neque verò ſoli Provinciales hac jucundâ exercitatione delectati ſunt, omnes fere Francorum Provinciæ ſuos habuêre Fabulatores Romanenſes. Ne Picardiæ quidem ſua defuere, cui *Syrventeſia*, ut vocabant, Poëmata Satyrica, & nonnunquam amatoria ſingularem in modum placuêre. In hono-

Homerus ipſe Trobator, rem *Trobatorum* obſervandum eſt Homerum ante illos *Trobatorem* fuiſſe, eúmque per urbes diſcurrentem verſus ſuos recitaſſe. Alii Græciæ Poëtæ illuſtres eum in hoc, ut in cæteris omnibus, ſecuti ſunt; faſtûs & oſtentationis causâ factitantes idem, quod ille paupertate adactus fecerat: in quo forſitan etiam quoſdam ſeipſo antiquiores fuerat æmulatus. Pulcherrimi illi Verſus, quos Phemio & Demodoco in Penelopes & Alcinoi Palatiis; iíque etiam, quos Virgilius Jöpæ tribuit in Aula Didonis, ſatis indicant *ſcientiæ feſtivæ* antiquitatem. *& Simonides,* Simonides Homero poſterior *Troverram* & *Canterram*, hoc eſt Poëtam & Cantorem agebat apud Scopam unum ex Theſſaliæ Proceribus, quum Caſtor & Pollux, eum ab impendente periculo liberaturi illuc venerunt. *& Arion;* Eandem quoque perſonam egit Arion apud Italiæ principes, & inde ſibi magnas opes comparavit. Quod ipſi accidit ex Græciâ redeunti, ejus conſimile eſt, quod commemorat Joannes Noſtradamus in Petri Caſtronovani vitâ, viri nobilis apud Galloligures, & Fabulatoris. Ne noſtris quidem veteribus Gallis ſui defuerunt *Troverræ*, quos oppiparè tractabant: & ex Poſidonio, quem citat Athenæus, Luernum ſcimus Arvernorum Principem, qui Bititii bello cum Romanis geſto celebris pater fuit, quum patente Aulâ & inſtructa menſa univerſos undecun-

que

que venientes magnifice acciperet, ſaccum auro onuſtum alienigenæ & externo Poëtæ dediſſe, quod ad ſe veniſſet ſuam cohoneſtaturus feſtivitatem atque convivium exhilaraturus. Ex hac ingenti Fabulatorum Romanenſium multitudine, quæ in Franciâ viguit circa initia tertiæ Regum noſtrorum ſtirpis, tanta nata eſt veterum fabularum ſeges, quarum pars in lucem venit, alia in Bibliothecis ſitu conſumitur, alia annorum vetuſtate conſepulta periit. Et quidem Italia atque Hiſpania Fabulis Romanenſibus alioqui tam fœcunda earum lucubrandarum artem à nobis acceperunt. *Mihi videtur dici poſſe hoc genus Poëſeos*, verba ſunt Giraldi de Fabulis Romanenſibus diſſerentis, *primam originem, & prima initia, ac ipſum etiam fortaſſe nomen à Francis habuiſſe. Ab his tranſiit ad Hiſpanos hac ſcribendi ratio, & ab Italis demum accepta eſt.* En Italus contra gentem ſuam teſtimonium ferens, quod quidem ſuſpectum eſſe nequit; quòdque iis, qui in Italiæ aut Hiſpaniæ gratiam, hujus inventi gloriam Franciæ præripere vellent, ſilentium imponit. Cavalcantius, Pembus, Æquicola, Speronius, Dolceus, & alii Itali propè infiniti, quum in genere agitur de ſuæ Poëſeos primordiis, non minùs ſynceri ſunt, quàm ipſe eſt Giraldus in agnoſcendâ Poëſeos Romanenſis origine: eam nempe Provincialium Gal-

Fabularum Romanenſium recentiorum compoſitio Franciæ debita.

loligurum poëticâ multò recentiorem, & ejus quaſi ſpoliis locupletatam eſſe confitentur. partem etiam linguæ ſuæ ornamentorum ex Provinciâ ſe accepiſſe non negant. Et hæc in eorum animis tam altis radicibus inhæſit opinio, ut etiam Galloliguribus multa ex ſuis vocabulis, ex Linguâ Latinâ proximè deſumptis, ſe debere putent, alio errore, quo ſibi plaudunt, ſe ſolantes, quaſi nimirum Provinciales acceperint vocabula hæc ex Thuſcis, cum ea utrique ex communi fonte hauſerint.

Refellitur opinio Salmaſii de Fabula Romanenſis origine,

Salmaſius, cujus defuncti nomen & ob eximiam ejus eruditionem, & ob mutuam inter nos amicitiam, ſingulari veneratione proſequor, in eâ verſatus eſt ſententiâ, Hiſpaniam ab Arabibus Fabularum Romanenſium lucubrandarum artificium edoctam, id ſuo exemplo Europæos cæteros edocuiſſe. Hæc ut defendatur opinio, dicendum eſt Theleſinum & Melkinum, Britannum utrumque, & Hunibaldum Francum (qui tres anno circiter quingenteſimo quinquageſimo ſuas Hiſtorias Romanenſes compoſuiſſe traduntur) eſſe ducentis ſaltem annis recentiores, quàm vulgo credatur. Quippe Comitis Juliani rebellio, & Arabum in Hiſpaniam irruptio, anno tantùm Hegiræ nonageſimo primo, hoc eſt anno Domini ſeptingenteſimo duodecimo contigit, nec niſi per

aliquod

aliquod temporis intervallum Arabum Fabulæ Romanenſes per Hiſpaniam; Hiſpanorum verò ejuſdem generis opera, quæ ad Arabum exemplum feciſſe vulgò creduntur, per obliquam Europam ſpargi ac diſſeminari potuere. Nolim equidem pro horum Autorum antiquitate pugnare, etiamſi opinione communi & ab omnibus receptâ fretus id meritò facere me poſſe conſiderem. Verum quidem eſt Arabes, ut tibi probavi, ſcientiæ hilari, hoc eſt poëticæ, fabulis & figmentis fuiſſe deditiſſimos. *Arabes ſcientiæ feſtivæ dediti.* Quum autem hæc doctrina apud eos rudis & imperfecta remanſiſſet, nec cultura Græcorum fuiſſet perpolita, eam cum armis victricibus in Africam à ſe ſubactam intulêre. Quæ tamen jam in Africâ vigebat. *& Africa quoque.* Ariſtoteles enim, & poſt illum Cornutus, & Priſcianus, fabularum Libycarum mentionem fecêre, & Fabulæ Romanenſes Appuleji, ac Martiani Capellæ Afrorum, de quibus diſſerui, ſatis oſtendunt quale foret hujus nationis ingenium. Quo factum eſt, ut in victorum Arabum animis invaluerit innata ad feſtivam ſcientiam propenſio. Et re quidem ipſâ ex Leone Africano, & Marmolio cognoſcimus Arabes & Africanos poëſeos Romanenſis amore adhuc teneri, & ſui Buhalulis facta bellica ſtrictâ ſolutáque oratione canere ſolitos, ut apud nos Reginaldi & Rolandi facta fuêre celebrata. Accepimus quoque

Morabitas cantilenis amatoriis operam dare; Feſſæ urbis poëtas in ipſâ natalium Mahometis feſtivitate conventus & ludos publicos agere, ac Verſus ſuos recitare adſtante populo, cujus judicio qui victor extiterit, eum hoc anno Poëtarum Principem creari; Reges præterea ex gente Benimeriniſia (antiqui noſtri ſcriptores Bellomarinam vocant) qui ante trecentos circiter annos regnabant, ſtatâ quadam die doctiſſimos quoſque Urbis Feſſæ viros convocare, & eos Regali convivio excipere ſolitos: deinde poëtas in honorem Mahometis verſus recitaſſe, Regémque victori magnam pecuniæ vim, equum, ſervum & proprias veſtes, quibus hac die erat indutus, impertiviſſe, & neminem indonatum abiiſſe. Hiſpania tandem quum ab Arabibus ſervitutis jugum accepiſſet mores etiam eorum accepit, atque eam in primis conſuetudinem, quâ verſus amatorios canere, atque inſtar Bardorum qui apud Gallos erant, virorum illuſtrium facinora prædicare ſolebant. At cantus, quos vocabant *Romancaos*, à Fabulis Romanenſibus longè diſtabant. Poëmatia erant ad canendum accommodata, & ideo perbrevia. Multa ex iis collecta ſunt, ex quibus reperiuntur quædam tam antiqua, vix ut intelligantur: ſed hæc nonnunquam ad illuſtrandam Hiſpaniæ hiſtoriam, aut ad eventa quædam ad Chronologiæ or-

Hanc canendi præclara facta conſuetudinem ab Arabibus accepit Hiſpania.

ordinem redigenda profuerunt. Eorum Romanenſes Fabulæ ſunt multò recentiores; & earum vetuſtiſſimæ centum circiter annis poſt Triſtanos & Lancelotos noſtros editæ ſunt. Michaël Cervantæus, inter præſtantiſſima Hiſpaniæ ingenia numerandus, ſubtilem admodum & prudentem de his cenſuram egit in Domino Quixotio, quem ex Arabico Cidi Achmedi Beni Engeli libro tranſtuliſſe ſe fingit, ſicque fabularis hujus Hiſpanicæ artis aperit originem. Vix parochus pagi illius, unde ortum duxerat ejus heros, & Nicolaus tonſor ex hoc tanto numero ſex inveniunt, quæ meritò ſint conſervandæ. Cæteræ omnes *brachio* ut vocant, *ſeculari* ancillæ traduntur, flammis injiciendæ. Quas ſervari dignas exiſtimant, hæ ſunt: Amadiſii Galli libri quatuor, quos primam equeſtrem fabulam, quæ in Hiſpania typis mandata ſit, eſſe putant, eámque primum & optimum aliarum exemplar: Palmerinus Anglus, qui Portugalliæ Regis opus eſſe creditur, idque dignum includi ejuſmodi Myrothecio, quale erat illud Darii, in quo Alexander Homeri monumenta aſſervabat; Domnus Belianis; ſpeculum vitæ equeſtris; Tirantius Blancus, & Kyrie Eleiſon de Monte-albano. Etenim antiquis illis & ſimpliciſſimis temporibus, Kyrie Eleiſon, Deuternomium & Paralipomenon Sanctorum totidem nomina eſſe credebantur.

Cervantæus Fabularum Romanenſium cenſor elegans.

Verum hæc omnia nova ſunt, ſi fabulæ noſtræ Romanenſes antiquæ ſpectentur, ad quarum exemplum illa, ut credi poteſt, facta ſunt, quemadmodum operum ipſorum convenientia, nationumque vicinia probare queunt. Cervantæus quoque de Romanenſibus poëmatis, aliiſque præterea, quæ in Domni Quixotii Bibliothecâ inventa ſunt, arbitrium facit. Sed hæc noſtri non ſunt inſtituti.

Unde ars verſuum ſimiliter deſinentium, & veſtium Troverris dandarum conſuetudo?

Quòd ſi quis mihi objiciat; ut ex Arabibus verſuum ſimili ſyllabarum ſono concludendorum artem ſumpſimus, ita nos ex iis probabiliter fabularum Romanenſium artem ſumpſiſſe, quum pleræque ex veteribus noſtris Fabulis Romanenſibus verſibus ſimiliter deſinentibus adſtrictæ eſſent; quumque illa præterea veſtium optimis *Troverris* largiendarum conſuetudo, quæ Francis proceribus uſurpata eſt, apud Reges Feſſanos autore Marmolio priùs invaluerit, huic quoque ſuſpicioni locum faciat: fieri quidem poſſe fatebor, Francos, quum ex Arabibus verſuum pari ſono terminandorum artem mutuarentur, ad hujus etiam nationis exemplum eorum uſum Fabulis Romanenſibus applicuiſſe. Fatebor inſuper noſtrum in fabulas amorem, eorum exemplo creſcere, & per Hiſpanorum viciniam, bellorúmque cum iis geſtorum commercia locupletari & augeri potuiſſe; ſed hoc ſtudium, cui nos, multò antequam in Hiſpaniâ vigeret, dediti eramus, iis deberi

deberi pernego. Eò pariter adduci nequeo, ut credam noſtros Principes hanc veſtium in *Troverrarum* gratiam exuendarum conſuetudinem ex Arabum Regibus cepiſſe. Hoc liberalitatis genus tot aliæ nationes exercuêre, ut ex alia quavis gente, quàm ex Arabiâ manare potuiſſe videatur. Non loquor de veſtibus muneri datis; cujus rei varia exempla ſuppeditat Hiſtoria ſacra & profana, quæque Perſis etiamnum, Turcis & Indis eſt uſitata. Sed ea afferam, quæ ad rem noſtram magis faciunt: quale eſt illud Samſonis, qui Philiſtinis, à quibus ſuum ænigma explicatum fuerat, togas promittit, & impertitur: quale eſt illud Piſthetæri, in Ariſtophanis Avibus, qui alteri autor eſt, ut veſtes omnes, tunicamque adeò ſuam exuat; quibus Poëtæ, qui novæ urbis Nephelococcygiæ laudes celebraturus advenerat, dignum labore præmium rependat: quale demum eſt illud Heliogabali, qui togis ſericis eorum virtutem remunerabat, qui novum aliquod condimentum invenerant. Aliunde igitur, quàm ex Arabiâ aut ex Africâ mos ille Francorum Procerum naſci potuit. Fortaſſe etiam & hi & illi ſuæ potiùs voluntati morem gerebant, quam aliorum exemplum ſequebantur; & quum operum, quæ recitari audiebant, præſtantiâ, ſimul & eodem quo alii iſti ſenſu permoverentur, unde ſuæ liberalitati indulgerent, ſollicite querebant; nihil-

que veſtibus ſuis nacti præſentius; iis ita re poſtulante, utebantur: quod & de quibuſdam pietate inſignibus viris legimus; & ſi Arabibus fides adhibenda eſt, de quibuſdam Calitis narratur, qui ſuas veſtes pauperibus largiti ſunt. Quod autem in Franciâ caſu ſæpe contigebat, Feſſæ quotannis conſuetudine quadam fiebat, quam ibi pariter caſus induxiſſe videtur.

Galloligurum exemplo Italos fabulis Romanenſibus componendis induſiſſe,

Neque porrò à veritate alienum eſt Galloligurum exemplo, velut æmulationis cujuſdam ſtudio Italos incenſos eſſe, & in eorum animis Romanenſium componendarum excitatam eſſe cupiditatem, poſtquam ſummi Pontifices Avenione ſedem fixêre. Nec verò ad id minùs profuit Francorum aliorum exemplum; quum Normani primùm, & deinde Carolus Comes Andeganenſis, Princeps virtute illuſtris, amator Poëtices & ipſe Poëta, in Italiâ bella geſſerunt. Noſtri quippe Normani ſcientiæ hilari pariter operam dabant, & ex Hiſtoriâ comperimus eos, antequam committerent prælium, illud memorabile, quod Gulielmo notho Angliæ ſceptrum peperit, præclara Rolandi facta ceciniſſe. Id conſuetudinis forſan à Francis acceperant, ut Falchetius affirmat, & ut credere eſt ex veterum teſtimonio, qui tradunt eam in Galliâ priuſquam à Romanis occuparetur, fuiſſe à Bardis uſurpatam, nec ab eâ ab-

Normani fabularum Romanenſium amatores:

abhorruiſſe Hiſpanos. Enimvero Salluſtius ait Matres apud illos, quum filios ſuos in hoſtem mitterent, patrum egregia facta iis in memoriam revocare ſolitas: quò referri poteſt id quod apud Homerum legitur, Achillem Heroum priſcæ ætatis geſta ad lyram cantaviſſe. Et fortè etiam Normani in hoc Germanicos Septentrionis populos, unde oriundi erant, æmulabantur. Nam Germani, autore Tacito, ad prælium euntes, Herculis facta canebant, & quo ſe ad imitandum majorum ſuorum virtutem ardentiùs inflammarent, non ſolùm rerum ab iis geſtarum glorioſa monumenta ſaxis inciderunt, in quæ nihil adhuc juris habuit temporis iniquitas, ſed & eorum virtutis duraturam memoriam conſervarunt in ſuis verſibus & cantilenis, quæ ſeſe ab annorum vetuſtate longè meliùs quam ipſa ſaxa vindicarunt. Tum cum in Provinciâ Romanenſis doctrina florebat, tota Europa denſiſſimis ignorantiæ tenebris erat conſepulta, ſed Francia, Anglia, Germania longè minùs, quàm Italia: quæ licet gentium vicinarum exemplis incitata, exiguum tantùm hunc temporis Autorum numerum protulit, ſed nullos fere Romanenſium fabularum conditores. Ex Italis, qui rudi aliquâ diſciplinarum notitia antecellere aliis volebant, eam ex Academiâ Pariſienſi tum diſciplinarum omnium parente, & omnium

Et ante illos Bardi, Germani, Græci, &c.

Pariſienſis Univerſitas ſcientiarum parens.

omnium Europæ doctorum nutrire communi petebant. S. Thomas, S. Bonaventura, Remondus Lullius, Dantes Poëta, & Bocacius illuc ſtudiis operam daturi ſe contulerunt: & Falchetius probat Bocacium hunc ex fabulis Francorum Romanenſibus fabellarum ſuarum pleraſque deſumpſiſſe; Petrarchámque & alios Poëtas Italos, pulcherrima quæque ex cantilenis Theobaldi Navarræ Regis, Gacæi Bruſlæi, Caſtellani Coceji, veterúmque Franciæ Fabulatorum ſelegiſſe, quæ poëmatis ſuis insererent. Joannes Noſtradamus multos è Galloliguribus poëtas numerat, quos invitatus eſt Petrarcha, & in ſuâ recenſione complures reponit poëtas Italos, qui linguæ patriæ ſuæ Galloligurum ſermonem & poëſin prætulerunt. Et id quidem haud dubie factum ab iis eſt, quod eam Italicâ rudi adhuc & ſterili, & poëticæ formæ adhuc expertè ditiorem, cultiorem, & ingenii ornamentis ſuſcipiendis aptiorem reperirent. In hoc igitur, ut arbitror, duarum nationum commercio Itali Romanenſem ſcientiam à Francis mutuati ſunt, quam quidem ſicut & verſuum eodem ſono terminandorum artem ſe iis debere fatentur.

Gentes barbara itidem & cultiores, Fabulis Romanenſibus dedita.

Sic Hiſpania & Italia à noſtris hominibus eam artem acceperunt, quæ inſcitiæ & imperitiæ noſtræ fœtus erat, quemadmodum Perſarum, Ionum & Græcorum urbanitatis

&

& elegantiæ fœtus antea extiterat. Ac re quidem ipſâ, ut ad vitam tolerandam, neceſſitate cogente, corpora noſtra, ubi panis deeſt, oleribus & radicibus ſuſtentamus; ita veritatis, quæ noſtrorum animorum proprium eſt atque naturale pabulum, cognitione deficiente; eos figmentis, quæ ſunt imago veritatis, alimus. Et ut in magnâ rerum omnium affluentiâ, voluptatis cauſa panem ſæpiùs & ſolitas dapes relinquimus, ac condimenta conſectamur: ita quum animi noſtri veritatem cognovêre, non rarò ejus ſtudium & contemplationem deſerunt, voluptatem in veritatis imagine, figmentis nempe conſectantes. Imago quippe & imitamen ex Ariſtotele & ex ipsâ noſtrâ experientiâ, majorem ſæpe, quàm ipſa veritas, pariunt voluptatem. Adeo ut hæ duæ viæ in diverſa abeuntes, ignorantia & eruditio; urbanitas & imperitia, ad eundem finem, hoc eſt figmentorum, fabularumque ſtudium homines non infrequenter deducant. Inde fit, ut gentes immanitate barbaræ, non minus ac eæ, quæ ſunt diſciplinis atque artibus, excultæ inventis Romanenſibus oblectentur. Hæc Americani habent in deliciis. Apud Hurones & Hiroquæos diebus Genialibus fabulæ convivia excipiunt, animi videlicet pabulum corporis alimentum. Qui cæteros aut ætate aut ingenio ſuperat, inventionis ſibi aut

Americani harum etiam ſtudioſi.

nar-

narrationis munus aſſumit. Caſtores Orimaci, vulpes & alia animalia fabulæ inſerviunt. Auditur attentè & tacitè: & riſu tantum ac plauſibus circumſtantium ſilentium interpellatur. Sine ullo vel loquentium, vel audientium tædio dies noctéſque prætereunt. Floridæ, Cumanæ, & Peruviæ populi cantilenis, orationibus, & rerum à majoribus ſuis præclarè geſtarum fabuloſis narrationibus ad laborem & prælium ſeſe mutuò accendunt.

& Minuthiadis inſulæ coloni; Quæ hi Barbari de origine ſuâ memorant, ea omnia ſunt plena figmentis. In quo Peruviani cæteros facilè ſuperant. Suos habent poëtas, quibus ejuſdem ſignificationis ac *Troverrarum* nomen adſcribunt. Suos habent & inſulæ Minuthiadis incolæ, qui per domos opera ſua venditant. Sui ſunt Guineæ, ut & Canadæ fabulatores. Daniæ, Sueciæ, &

& Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ populi. Norvegiæ incolæ veteres, non minùs fabuloſas, quàm Græci, ſibi finxerunt origines Hiſtorias ſuas ad arbitrium confictas priſcis characteribus Runicis, magnis in lapidibus incidebant, quorum in Daniâ quædam fragmenta vidi. Norvegorum coloni qui tranſfretarunt in Iſlandiam, illuc & ingenium ſuum & fabulas intulerunt. Qui in hac inſula magis ingenio valebant, ii novis comminiſcendis animum applicabant. Recentiores eas collectas in volumen redegerunt, atque has figmentorum congeries Eddæ & Voluſpæ nomi-

nominibus affecerunt; quæ ab annis circiter ſexcentis ad hanc diem ſervatæ ſunt. Quin & Eddam aliam antiquiorem extitiſſe volunt Dani, quarum ſunt tantum compendia illæ Semundi & Snorronis, & ex quibus Saxo Grammaticus, quicquid habet fabuloſius eruit. Si quid horum extaret operum, quæ apudGallos veteres ad conciliandam ſuæ genti immortalitatem Bardi meditabantur, eos ſanè non religioſiores in ſuis Hiſtoriis veritatis obſervatores reperiremus, quàm in ſuâ Theologiâ; quam, ſi Mythologo Phurnuto credimus, totam figmentis, ut ſuam ænigmatis Philoſophiam involverant.

Hæc in fabulas propenſio, quæ cunctis hominibus communis eſt, non ex ratiocinatione, aut conſuetudine animis eorum innaſcitur: iis ingenita eſt, & in ipsâ eorum mentis & animæ naturâ ſua habet ſemina. *Unde nata omnibus hominibus in fabulas & ſcientias propenſio?* Etenim diſcendi & ſciendi cupiditas hominis ſolis eſt. Neque eum minùs à cæteris animantibus, quàm ratio diſtinguit. In nonnullis etiam animalibus non expreſſa quidem, ſed adumbrata rationis imperfectæ ſimulacra reperiuntur; ſed cognoſcendi deſiderium in homine ſolo apparet. Illud quidem meo judicio, inde proficiſcitur, quod quum animæ noſtræ facultates ampliores ſint atque capaciores, quàm ut ab iis, quæ præſentia ſunt, expleri queant, anima in rebus præteritis &

futuris

futuris, in veritate & figmentis, in ſpatiis imaginariis, & in iis etiam, quæ fieri non poſſunt, quærit aliquid, unde eas occupet, atque exerceat. Beſtiæ in iis, quæ earum ſenſibus offeruntur, inveniunt id quod animæ ſuæ potentiam ſatiet, nec ulteriùs feruntur: adeo ut in iis non prodeat illa inquieta cupiditas, quæ continuò hominis animum agitat, & ad novarum cognitionum diſquiſitionem impellit; ut ſi fieri poſſit, inter *Objectum*, ut vocant, & Potentiam ſervetur proportio, taliſque ſentiatur voluptas, qualis in ſedandâ aut fame vehementi, aut ſiti violentâ. Et id quidem Platonis fabulâ ex Pori & Peniæ, hoc eſt opulentiæ & Paupertatis, unde Amor natus eſſe dicitur, conjugio ſignificatur. Quod *Objectum* dicitur, notatur Opulentiâ, quæ non niſi uſu Opulentia eſt, & alioquin infructuoſa eſt, & excitando amori inepta. Potentia Paupertate deſignatur; quæ, quamdiu ab Opulentiâ ſeparata eſt, ſterilis manet & ſollicitudinis plena: at quum huic ſe conjungit, ex hac conjunctione Amor naſcitur. Id in animâ noſtrâ plane reperitur. Paupertas, hoc eſt ignorantia ipſi naturalis eſt, & continuo ſcientiæ, quæ ejus Opulentia eſt, amore flagrat: quum autem eâ fruitur, ex hac poſſeſſione Amor naſcitur, qui & Patris & Matris, unde ortus eſt, naturam aliquo modo refert.

refert. A Patre habet vim illam, admirabili rerum, quibus ignorantiæ ſuæ inanitatem replere conatur, varietati concipiendæ parem. Ex Matre hanc accepit rerum obliviſcendarum, quas cum labore didicit, facilitatem; háncque obſcuritatis, dubitationis, ac tenebrarum, quæ omnibus ejus luminibus officiunt, mixturam. Sic, inquit Plato, hic Amor, ut propriè loquar, neque dives, neque pauper; neque doctus, neque imperitus eſt. Et ex hac naturâ mediâ atque ambiguâ naſcitur illud ſcientiæ acquirendæ deſiderium; quo & Dii, qui hanc fruuntur, & ſtolidi, qui non norunt, carent; quódque in iis tantùm, qui ingenio nobili, magno, & ſublimi ſunt, invenitur. At verò ſollicitudinem & agitationem illam, quam parit id deſiderium, ſi modo expleri queat, quæ ſequitur voluptas, abundè remuneratur. At voluptas illa non ſemper æqualis eſt: eam labore & vigiliis emimus nonnunquam, putà quum animum applicamus arduis ſpeculationibus & ſtudio ſcientiarum reconditiorum, quarum materia ſenſibus noſtris non ſatis obvia eſt, & in quibus ea facultas qua rerum imagines animo effingimus, quæ faciliùs agit, minùs occupatur, quàm intellectus, cujus functiones ſunt operoſiores. Et quoniam ita facti ſumus à naturâ, ut laborem reſpuamus, anima noſtra in has ſcientias arduas, fructus

tantum futuri, aut remotæ voluptatis ſpe; aut neceſſitate impulſa ferri ſolet. Sed quæ cognitiones eam alliciunt magis atque deliniunt, eæ ſunt, quas ſine labore acquirit, & in quibus imaginandarum rerum facultas agit, & laborat fere ſola, ac in hujuſmodi quidem rebus, quales ſunt quæ ſub ſenſus cadere ſolent: præſertim ſi cognitionibus illis noſtri concitantur affectus, quibus cuncta noſtra deſideria, omnes noſtræ actiones, & omnes vitæ noſtræ voluptates, tanquam machinis quibuſdam moventur. Id faciunt Fabulæ Romanenſes, ad eas concipiendas nullâ opus eſt animi contentione; nullâ ratiocinatione, nullo memoriæ labore; animo duntaxat imagines rerum ſunt effingendæ. Hæ excitant animi noſtri motus, quos ſtatim ſedent; nobis incutiunt timorem aut dolorem, ſed ut quibus aut timemus aut dolemus, eos à periculo vel miſeriis liberatos nobis ſiſtant; noſtrum amorem movent, ſed ut quos amamus, eos fortunatos intueamur: noſtra demum agitant odia, ſed ut quos odimus, eos nobis infelices exhibeant; omnes denique noſtri affectus in his aut moventur jucundiùs aut placantur. Quamobrem, qui plus affectu, quàm ratione ducuntur; quíque plus imaginandis rebus quàm intelligendis valent, ii Fabulis Romanenſibus magis capiuntur; etſi hi quoque illis, ſed aliâ ratione delectantur.

Cur Fabulæ Romanenſes magis delectent, quam alia doctrina.

tur. Artis nempe ornamentis, & iis, quæ intellectus peperit, rapiuntur: at priores illi, quales ſunt pueri, & idiotæ iis tantùm trahuntur, quibus movetur rerum imaginandarum facultas & affectus excitantur, ſoliſque figmentis ita demulcentur, ut in iis acquieſcant. Quum autem figmenta ſint tantùm ſpecie veræ narrationes, re falſæ, rudiorum animi, qui ſolum ſpectant corticem, hoc veritatis integumento contenti delectantur: atqui altiùs interſpicientes, ſolidius aliquid rimantur, hanc falſitatem facile aſpernantur. priores falſitatem ipſam amant, quod veritatis velut pigmento tecta ſit; poſteriores verò hac offenduntur imagine veritatis, quòd falſitate obducta ſit; niſi hæc alioquin ingenio, myſteriis, & documentis plena, inventionis & artis præſtantiâ ſe tueatur. Et alicubi S. Auguſtinus ait, falſa illa quidpiam ſignificantia, ac ſenſum abſconditum involventia, ea non eſſe mendacia, ſed figuras veritatis, quibus ſapientiſſimi & ſanctiſſimi quique uſi ſunt. Aut ſi quicquid à veritate alienum eſt, id appelletur mendacium, ad Philoſophi Sexti Empirici diſtinctionem recurrendum eſt, qui mentiri & mendacium dicere, res plane diverſas eſſe aſſeverat: & ſapientem poſſe mendacium dicere, hoc eſt figmentum proponere ad conſtituendam veritatem; ſed non poſſe mentiri, hoc eſt fi-

gmentum proponere ad veritatem deſtruendam.

Quoniam igitur exploratum eſt ignorantiam imperitiámque magnas eſſe mendacii origines, & hanc barbarorum ex ſeptentrione velut emiſſam diluviem per totam Europam effuſam eſſe, eámque tam craſſis tenebris immerſiſſe, ut ex iis tantùm duobus abhinc ſeculis emerſerit: an non veritati conſentaneum eſt id in Europâ ignorantiam effeciſſe, quod in aliis omnibus effecit regionibus? Ecquid fruſtra requiritur in fortuitis caſibus fortunæ, quod in ipsâ naturâ invenitur? Nullus eſt itaque dubitandi locus, quin Gallicæ, Germanicæ, & Anglicæ, & omnes Septentrionis Fabulæ Romanenſes, indignæ ſint, & ex his ipſis ortæ regionibus, non aliunde allatæ; nullámque aliam habeant originem, quàm hiſtorias rebus falſis refertas, quæ temporibus tenebricoſis, & ignorantiâ oppreſſis prodiére, quibus temporibus nulla erat ad eruendam veritatem induſtria aut curioſitas, nulla ars ad eam deſcribendam: quum verò hæ hiſtoriæ partim vera, partim falſa complexæ à populis illis ſemi-barbaris benè exceptæ fuiſſent, tum demum hiſtorias merè ſuppoſititias edid erint; quæ Fabulæ Romanenſes reipſa ſunt. Atque hæc invaluit ſane opinio, Romanenſium nomen hiſtoriis primum, deinde figmentis inditum eſſe,

Fabulæ Romanenſes natæ ex hiſtoriis falſis.

unde

unde liquidò apparet alia ex aliis nata eſſe: *Romanenſes*, inquit Pigna, *juxta pervulgatam opinionem, apud Francos appellabantur Annales, ac propterea Hiſtoriæ bellorum hoc nomine afficiebantur. Poſtea vero nonnulli à veritate recedentes, quantumlibet* fabulis *ſerendis indulgerent, ita ſcripta quoque ſua appellabant.* Strabo in loco jam à me ſuprà laudato ait hiſtoriis Perſarum, Medorum, & Syrorum fidem minus eſſe adhibitam, propterea quòd earum ſcriptores, quum viderent ad hominum famam & exiſtimationem perveniſſe fabularum artifices, ad famam quoque eadem viâ graſſari ſe poſſe crediderunt, ſi quæ nec viderant unquam, nec audiverant, nec à veris autoribus acceperant, ea in hiſtoriæ ſpeciem conſcriberent, in eo tantum laborantes, ut placerent, non ut docerent. Sperabant, ut Herodianus optimè in Hiſtoriæ ſuæ præfatione obſervavit, fore ut Lector ſibi imponi minime quereretur, quum figmenti & narrationis gratia ac amœnitate ſuam reſarciret in veritatis amiſſione jacturam. Simile quidpiam apud nos, ſed diversâ ratione contigit. Ex fabulis hiſtoriæ fabuloſæ apud illas Orientis gentes, apud nos verò & alios omnes Septentrionales populos ex fabuloſis hiſtoriis fabulæ & Romanenſia figmenta extitere.

Sed ut ad Galloligures *Troverras* revertamur,

Quorum auctorum Fabulæ Romanenſes, & quid de iis ſentiendum.

tamur, qui in Franciâ à vergente ſeculo decimo doctrinæ Romanenſis principes habiti ſunt, eorum ars tantùm placuit, omnes ut Francorum Provinciæ ſuos etiam *Troverras* habuerint. Seculo undecimo & ſequentibus maximam Fabularum Romanenſium cum ſolutâ tum ſtrictâ oratione ſcriptarum copiam effudêre, quarum magna pars fruſtra invidente temporum iniquitate ad noſtram uſque pervenit ætatem. Ex hoc erant numero fabulæ Garini Loherani, Triſtani, Lanceloti à Lacu, Andreæ Francici, qui nimio puellæ, quam nunquam viderat, amore periit, Bertani, Sancti Grealis, Merlini, Arturi, Percevallii, Perceforeſti, & plerorumque ex illis ſeptem viginti ac centum poëtis, qui ante annum milleſimum trecenteſimum vixêre, quos Falchetius ad cenſuram ſuam revocavit; & ex illis etiam Galloliguribus, quorum vitas Joannes Noſtradamus deſcripſit. Haud equidem horum omnium recenſionem aggredi velim, neque expendere an liber Amadiſiorum Gallicorum ex Hiſpaniâ, Flandriâ aut Galliâ ortus ſit? an etiam Tielli Uleſpiegli fabula, opus ſit ex Linguâ Germanicâ tranſlatum, & quâ primùm Linguâ ſeptem Romæ ſapientum ſive Dolopathi fabula conſcripta ſit? non diſputabo an ea deſumpta ſit ex parabolis Indi Sandalei Hebraicè impreſſis, Arabicè & Syriacè redditis, & ex Linguâ Syriacâ

De Amadiſiis Gallia & Tiella Uleſpieglo, & Dolopatho.

riacâ in Græcam verſis, ut habet titulus exemplaris manuſcripti, quod Græco ſermone donatum vidi, in quo caſus tribuuntur Syntipæ, unius ex Perſarum Regibus filio, & ipſius operis compoſitio autori Chriſtiano nomine Moyſi. Nec diſquiram an eadem fabula materiam ſuppeditarit libri Italici, cui titulus eſt Eraſtus, multarumque Bocacii fabellarum, ut idem Falchetius annotavit: Et an eadem rurſus in Latinum ſermonem converſa ſit à Joanne Abbatiæ Altæſylvæ Monacho, cujus veteres quidam manuſcripti codicés hodieque ſuperſunt; an vero poſtea hæc Latina interpretratio à Clerico Heberto circa duodecimi ſeculi finem verſibus Gallicis; & à trecentis fere annis Germanico ſermone & à centum annis ex Germanico in Latinum tranſlata ſit à viro docto, qui hanc interpretationem Germanicam ex Latinâ expreſſam eſſe quum ignoraret, fabulæ nomina commutavit. Dicere mihi ſufficiet hæc omnia opera, quæ ignorantiæ fœtus erant, cognata ſui ortûs ſigna prætuliſſe, quum nihil aliud forent, quàm figmentorum figmentis congeſtorum rudis & impolita moles, ab hoc artis & elegantiæ ſupremo gradu, ad quem Franci non ita pridem fabulas noſtras Romanenſes evexêre, longè remotiſſima. Et certè mirum illud videri poſſit, quòd Franci noſtri poëſeos Epicæ & Hiſtoriæ primas partes

Unde Franci in Fabulâ Romanenſi Principes?

aliis populis quum conceſſerint, ſupra alios omnes in hoc genere principem locum ita obtinuerint, ut præſtantiſſimæ iſtorum fabulæ Romanenſes, vix ad eas, quæ apud nos mediocres habentur, accedant. Id, opinor, elegantiæ debetur & urbanitati, qua in ambiendis & conciliandis puellarum amoribus gens noſtra uti ſolet: cujus ea, ni fallor, cauſſa eſt, quod viros inter & mulieres liberiora ſint apud nos vitæ commercia. In Italiâ atque in Hiſpaniâ mulieres velut clauſæ agunt, & ab hominum conſortio tot obicibus ſeparatæ ſunt, ut rarò viſu, colloquio fere nunquam adeantur. Adeo ut, quum fandi molliora tempora ſeſe infrequentius offerant, ingenioſa hæc permulcendarum illarum ars, & verborum lenociniis deliniendarum neglecta ſit. In id tantùm incumbitur, ut ſuperentur ea, quæ aditus ad illas obſtruunt, impedimenta: quod qui ſemel conſecutus eſt, is neglectis cæteris omnibus datæ occaſionis ſorte utitur. Sed quum apud nos fœminæ ſumma libertate fruantur, & nullâ aliâ quam propriæ virtutis & animi defenſione pudorem ſuum tueantur, hinc quaſi propugnaculum ſibi pararunt, clavibus omnibus, omnibus clathris, & omni vetularum vigilantiâ tutius atque ſecurius. Viri igitur eò ſe adductos ſenſere, ut hoc propugnaculum velut ex quarumdam legum præ-

ſcripto

ſcripto adorirentur, ad idque expugnandum tantùm curæ impenderunt atque induſtriæ, eam ut ſibi propriam artem effecerint, aliis populis ferè incognitam. Ars nempe illa eſt, quæ Romanenſes Francorum fabulas à cæteris ita diſtinxit, ad earumque lectionem tam blandè homines pellexit, ut quæ eſſent lectu multò utiliora, ea de manibus illorum excuſſerit. Nobiliores fœminas hæ primum illecebræ ceperunt. Itaque Fabulis Romanenſibus evolvendis ſeſe totas dederunt; priſcamque Mythologiam & Hiſtoriam deſpicatui habuêre, ſic ut jam amplius intelligere non potuerint ſcriptiones aliquas, quæ præcipuum olim inde ornamentum mutuabantur. Et ne hæc inſcitia, cujus animadvertendæ & agnoſcendæ tam frequenter ſe dabat occaſio, aliquem ipſis incuteret pudorem, improbare quod ignorabant, quàm ediſcere, facilius commodiùſque ſibi eſſe judicarunt; parum memores duarum illuſtrium Margaritarum, & tot aliarum Heroïdum, quæ eruditione ſua Galliæ & Italiæ decus immortale pepererunt. Viri, quò mulieribus placerent, ſeſe ad earum exemplum compoſuerunt, quod illæ damnabant, hi improbarunt; & quæ Malherbæi temporibus urbanitatis pars erat præcipua, id ſtudium pædagogicum appellarunt. Poëtæ & alii Gallici ſcriptores, qui poſt vixêre, huic

ſe judicio ſubmittere coacti ſunt, & ex iis plerique cum antiquitatis notitiam ſibi inutilem eſſe intelligerent, iis ſtudiis operam dare deſierunt, quibus uti amplius non audebant. Sic ex cauſâ bonâ prodiit effectus peſſimus, Fabularúmque noſtrarum Romanenſium elegantia, artium optimarum contemptum peperit; & ut ex ignorantia ortæ erant hæ fabulæ, ita ex illis rurſum ignorantia orta eſt.

Quid de Fabularum Romanenſium uſu ſtatuendum.

Nec idcirco iis legendis quemquam prorſus vacare nolim, abuſus modo abſit; optima quæque non raro pravi conſequuntur effectus. Ex Fabulis etiam Romanenſibus deterius aliquid ipsâ ignorantiâ naſci poteſt. Quid in his culpetur, non ignoro: his exareſcit pietas; hi animos ad libidinem impellunt, his mores corrumpuntur. Id omne evenire poſſe, & nonnunquam evenire fatendum eſt. At quæ res tandem eſt, qua malus animus non abutatur? imbecilliores animæ ex rebus omnibus ſibi ipſis venenum parant. Iis igitur interdicenda eſt tot exitioſis exemplis referta Hiſtoria, & Mithologia in quâ ex Diis ipſis tot illuſtria trahuntur exempla peccandi. Statua marmorea ab Ethnicis publico cultu venerata, homini adoleſcenti, pravi amoris ac deſperationis cauſa fuit. Chærea Terentianus in ſcelerato quodam conſilio obfirmat animum viſâ Jovis tabula, quæ forſan

ſan alios omnes ſpectatores ad ſui cultum convertebat. Apud Græcos Francoſque veteres in Fabulis Romanenſibus honeſtatis ratio parum habita eſt, vitio temporum, quibus compoſitæ ſunt. Quæ res minus etiam ab Italis religioni habita eſt: neque ego ſatis capio, quî Taſſus & Guarinus, etſi delicato viri ingenio, obſcœnitatum, verborúmque ambiguorum non ſenſère flagitioſam turpitudinem, quâ Paſtoralium ſuorum dramatum ſplendori affecerunt. Aſtræa ipſa, & quædam Fabulæ Romanenſes ea recentiores in hoc ſunt fæditatis genere licentiores Sed hujus ætatis fabulæ, optimas dico, ita ſunt ab hoc vitio remotæ, ut ne quidem ullum verbum in his, ne quidem ulla locutio caſtas offendat aures, ne quidem ulla actio pudorem violare vel tantillum queat. In iis duplex illa reperitur utilitas, in quâ Photius præcipuum lectionis Fabularum Romanenſium fructum poſitum eſſe putat, quòd ſcilicet vitam diſſolutam & vitioſam poſt longos ac vanos triumphos turpitudo ſemper & infelicitas conſequatur; honeſtas contra & virtus graviſſimis diu laboribus caſibúſque depreſſa victrix tandem glorioſiùs attollatur. Animus ad peccandum paratus malè intellectis & male applicatis confirmatur exemplis: grata criminis incitamenta, intuetur, non exitum Amoris alicujus damnoſi ortus ac progreſſus

greſſus ipſi digna videtur imitatione hiſtoria; ſed pro fabula habet ea quæ hunc conſequitur infamia. Non in opere, ſed in pravâ lectoris voluntate hujus vitii latet origo. Si quis dixerit, amorem tam delicatâ, tamque tenerâ ratione his ſcriptionibus tractari; ut hujus pernicioſi affectûs illecebra in adoleſcentum animos facile irrepat, reſpondebo, non ſolùm periculoſum non eſſe, ſed quodammodo neceſſarium eſſe juvenes vitæ civili addictos, ſcire quid ſit amor, ut aures obturent amori vitioſo, & ex ejus laqueis fraudulentis ſe extricare queant; utque in eo amore, cujus finis legitimus & ſanctus eſt, ſeſe prudenter gerant. Quod quidem adeo verum eſt, ut ipsâ comprobatum ſit experientiâ, qui amoris ignari ſunt, eos amori faciliùs ſuccumbere; puellaſque ſimpliciores hujus nexibus faciliùs irretiri. Adde nihil magis ex ingenio adoleſcentis è ſchola recèns egreſſi rubiginem ac ſitum detergere, nihil huic excolendo, & ad humanitatem informando magis prodeſſe, quàm lectionem Fabularum Romanenſium. Hæ ſunt velut muti præceptores, Profeſſoribus ſuccedentes, qui rudiores animos ratione quadam ad docendum & perſuadendum multò accommodatiore ad bene & loquendum & vivendum inſtituunt, quique pulverem ſcholaſticum, quo etiamnum ſordeſcunt, penitus decutiunt.

De

De iis tantum loquor, quibus inter altioris fortunæ alumnos vita exigenda eſt, & quibus elaborandum eſt, ne derìdiculo ſint aliis, id quod ſæpiùs contingeret, ſi amatoriis ſermonibus non inſueviſſent. Nam quod ad eos pertinet, qui vitæ ignobilis & remotæ officiis deſtinati ſunt, in iis amoris & ejus artium cognitio nihil habet utilitatis. Ajebat Horatius Homericæ Iliadis lectione in adoleſcentum animis, *quid pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non pleniùs ac melius* exprimi, quam ſi adhibeantur *Crantoris* & *Chryſippi* & omnia Philoſophorum doctiſſimorum præcepta. Si quis de Fabulis Romanenſibus idem affirmare non audeat iis ſaltem id attribuere poterit, quod Plutarchus de Poëſi aſſeveravit, documenta nempe Philoſophica, quum illius ornamentis veſtita ſunt, faciliorem in juvenum animos aditum reperire, quàm quum ſolitâ auſteritate horrentia obtruduntur. Unde plerique Philoſophorum ad ſtabilienda dogmata, fabularum adhibuêre miniſterium, & harum velut præſtigiarum noſtro nos bono decipientium fructum magnificè extulerunt. Adeo ut Salluſtius Philoſophus Cynicus iis divinum quoddam tribuendum eſſe judicarit: non ſolùm, inquit, quod propriæ ſint & Poëtis, qui Divino Numine afflati ſunt; & Philoſophis, quos Dii illuſtrant; & cæremoniarum reli-

Fabulas quanti fecerit Salluſtius Philoſophus.

religioſarum ad divinos cultus inſtitutarum autoribus, & Diis ipſis, quum ſua pandunt Oracula; ſed etiam, quòd, quemadmodum Dii omnes homines bonorum ſenſilium, ſapientes verò inſenſilium participes faciunt, ita & fabulæ omnibus oſtendant Deos eſſe, ſapientibus verò ſolum qualis eorum ſit natura; Mundum ipſum, qui à Diis regitur, fabulam eſſe, ſiquidem in eo apparent corpora, animi latent. Idem Philoſophus adjicit, unumquemque, quò abſurdiores fabulæ eſſe videntur, eò magis perſuaſum habere debere, plurima in iis latere Myſteria, multumque ideo in iis percipiendis labores eſſe impendendos. Medici, qui in Philoſophorum numerum adſcribendi ſunt, quum Phyſicam, in quâ tota vetus Philoſophia poſita erat, excolant, inter ſua medicamenta recepêre Fabulas, tanquam pharmacum quoddam, quod voluptate in animam immiſſâ, corpus ſanaret ægrotantis. Et quidam Medicus apud antiquos illuſtris, ſeu hac ratione, ſeu experientiâ impulſus, quibuſdam ex iis, quorum morbos curabat, eas legendas ſeriò præcepit.

Quanti has fecerint Medici;

& Politici

Ipſa Politica, quæ Philoſophiæ, unde ſua præcepta ducit, pars habenda eſt, Fabulis à Poëtica nondum excultis honorem habuit: à Legumlatoribus quippe prius quam à Poëtis exceptas eſſe ſcribit Strabo, cùm propter earum utilitatem, tum propter hominum indolem,

dolem, in quibus rerum novarum diſcendi & intelligendi cupiditas vel ab infantiâ ob naturalem in Fabulas propenſionem ſeſe prodit; quod ſi novitati jungatur admirabilitas, ea voluptatem augeri, quæ magnum eſt ad diſcendum incentivum; conducibile eſſe igitur his uti illecebris, & hoc velut melle poculi labra contingere, quò faciliùs homines amaram documentorum medicinam noxios humores purgaturam exhauriant. Is quidem fabulis Romanenſibus nimium concedi vellet, qui earum uſum autoritate Magiſtratûs ſanciendum eſſe decreverit, próque ipſis poſtularet, quod pro Fabulis Plato, qui matres, nutriceſque jubebat eas addiſcere, quas deinde pueris occinerent, ut eos falſa priùs, quàm vera edocerent, híſque mendaciis meditatis, & ad id compoſitis teneriora eorum ingenia meliùs, quàm manibus corpora fingerent atque formarent; tum deinde Matrum diſciplinæ ſuccedere diſciplinam Præceptorum, quorum inſtitutione & præceptionibus adoleſcentes certo quodam temporis decurſu Mythologiæ, hoc eſt fabularum cognitione imbuerentur. Is quoque nimium iiſdem fabulis tribueret, qui eas publicè in ſcholis legi vellet, quemadmodum hodie ea Veterum leguntur poëmata, quæ quanquam plena placitis, exempliſque profanis, impiis, noſtræ Religionis ſanctitati, & morum honeſtati

Romanenſes Fabulas non magis periculoſas eſſe, quàm veterum Poëmata,

non-

nonnunquam contrariis ſine ullo tamen periculo, & non ſine certa ac perſpecta utilitate in tenerioris ætatulæ manibus verſantur. Sed ſaltem is Fabulis Romanenſibus nimis indulgere non putabitur, quum id flagitabit, ut quæ modeſtiæ & pudoris legibus ſervient, à Cenſoribus tolerentur, illarúmque eadem habeatur ratio, ac Comœdiæ & tripudiis, quæ magnus & ſanctus quidam hujus ætatis Epiſcopus in iis, quas præſcripſit, pietatis regulis, ait eſſe voluptatem indifferentem natura ſua, bonam malámve, prout quis iis benè aut male utitur. Quod ſi ſanctiſſimus ille Præſul ita cenſit de his cœtibus, in quibus publicum celebratur amoris commercium; ubi oculi & aures, qui animæ ſunt aditus, iis patent, quæ in mundo vaniſſima ſunt; ubi mutuus ille conſpectus animum in tantum diſcrimen vocat; eo certè adduci nequeo, ut exiſtimem pejus eum aliquid fuiſſe ſenſurum de Fabularum Romanenſium lectione, in quibus pudori & honeſtati conſulitur; cum illis afficiatur ea duntaxat animi facultas, quæ informat imagines rerum; vel ſi iis impellatur imbecillus aliquis animus, ad vacuum tantùm & inanem amorem impellatur. Ac proinde ad ſententiam Platonis facile accederem, arbitros quoſdam præficiendos eſſe cenſentis, quorum judicio bona à malis ſecernerentur.

Aut Comœdiam & Choreas ab Epiſcopo ſanctiſſimo non damnatas.

Pri-

Primus omnium in noſtrâ Galliâ nobiliſſimus Honoratus Urféus Romanenſes hujuſmodi Fabulas barbari ſermonis corruptelâ exemit, terſiori Minervâ exornavit, certiſque iterùm regulis adſtrinxit, in egregio, nec ſatis laudato Opere Aſtræâ indigitato: Opere, inquam tanto acumine, tantâ elegantia, tantoque lepore, concinnato ac elaborato, ut vix ſimile in pari argumenti genere reperire ſit; in hoc ſiquidem, Hellados, Auſoniæ, & Iberiæ decus obſcuravit: nec tamen alios, tempore ſibi inferiores ab eodem conatu ſic deterruit, nec adeò omnium in ſe oculos admirationemque vertit, ut eidem, largiendæ & concedendæ innumeris recentioribus Auctoribus ejuſdem generis Fabularum, quæ in Galliâ poſt ſuas prodiêre, locum non dederit. Omnes autem in admirationem ad ſtuporem traduxerunt præclara illa opera vulgata ſub adſcititio nomine, à virgine non minùs ob modeſtiam, quam ob meritum ſpectabili, ultrò laudi inde emerſuræ renunciante, ut ex unicâ virtute commendationem ſibi quæreret: quaſi dum Gentis Gallicæ gloriæ decorique ſtudet, ociantis virilis ſexus opprobrio parcere voluiſſet. Verùm, mortalium commodis, in multis tempus inſerviens, favore ac gloriâ, quibus caruerat aliquandiù, illam exornavit, debitumque decus

abſconditum & quaſi neglectum reſtituit, & majori ſplendore compenſavit. Modeſtiæ quippe arcanum iſtud ingens patefecit tandem, & reſeravit, illuſtrem Baſſam, Cyrum Magnum, necnon Cleliam, opera eſſe ſpectatiſſimæ Dominæ de Scudery: quibus ars iſta concinnandarum Romanenſium Fabularum (cui non laudes ſolùm, quibus eam Patriarcha Photius extollit, ſed & exempla Auctorum, qui illi adornandæ & poliendæ operám ſuam commodarunt, contra moroſos cenſores tutelam dare potuiſſent) tanto, & ſuomet in poſterum exemplo, apud omnes commendaretur; Et poſtquam à Philoſophis Apuleo & Athenagora: à Romanis Prætoribus, Siſennâ: à Conſulibus, Petronio: ab Auguſtalis Dignitatis candidatis, Claudio Albino: à Sacerdotibus, Theodoro Prodromo: ab Epiſcopis, Heliodoro, & Achille Tatio: à Pontificibus Romanis, Pio II. (cujus ſcriptum extat de Amoribus Euriali & Lucretiæ) & à ſanctis, veluti Joanne Damaſceno, exculta ac expolita fuerat, iſto inſuper gauderet invicto patrocinio, illam nimirum illuſtratam & ad perfectionis faſtigium aſſurrexiſſe, induſtriâ & ingenio eruditiſſimę juxta ac ſapientiſſimæ virginis. Quod ad te attinet, Vir Nobiliſſime Doctiſſimeque, cum conſtet, ut à me fuit expoſitum, Plutarcho etiam

etiam teſte, ſeriem Fabulæ apprimè concinnatæ & enarratæ, mirabiles in hominum animis amorem excitare ſui, haud vulgarem ex Zaydâ tuâ ſucceſſum tibi expectare par eſt, cujus caſus & eventus tam novi ſunt & inexpectati, tantoſque motus excitare, & longè gratiſſimos apti ſunt: & cujus narratio tanto cum lepore & induſtriâ à te concinnata eſt.

Eſſet in votis, & quidem calidiſſimis, quibus gloriæ Magni illius Monarchæ, cui, ſingulari Numinis largitate paremus, ego totus conſultum cupio, ut mirabilis Regni ſui Hiſtoria æquè ſublimi ſtilo; æquè accuratâ rerum ab illo geſtarum obſervatione, eâdemque mentis ſagacitate nobis ſuppeditaretur. Virtus certè, quâ tot præclarè geſta ac facinora reguntur ac perficiuntur, tam Heroica videtur: fortuna ipſi perdiù arridens ac obſecundans, tantam admirationem & ſtrepitum apud Gentes exteras & remotiores concitat, ut non levis animum ſubeat ſuſpicio dubium apud poſteros futurum, num vera ipſius ac genüina Hiſtoria, an Romanenſis potiùs Fabula, & commentitium Heroicum argumentum, reputanda ſit.

FINIS.

Lectorem Benevolum rogamus ut quædam Errata in Tractatu de Origine Romanenſium ſequenti modo corrigere non gravetur.

IN Epiſt. ad Lectorem *pagina* 2. *lin* 14. decretum. *lin.* 15. Fruere In Tractatu, *pag.* 1. petitio, mi Segræſi; *p.* 13. *l.* 3. ſermonis patrii *l.* 27. luſerunt *p.* 14. *l.* 5. Elmacinus *l.* 8. præmia *l.* 25. averſabantur *p.* 15. *l.* 14. conderent *p.* 20. *l.* 23. Politicam *p.* 30. *l.* 18. adornavit Parthenius *p.* 31 *l.* 25. manaſſe *l.* 26. Achilles Tatius, *p.* 34. l. 4. Prochodochii *p.* 35. *l.* 25. Longi Paſtoralia *l.* 30. Eunapius *p.* 36. *l.* 25. adducunt *p.* 37. *l.* 2. nutantes *l.* 7. fœcunditatis *l.* 12. efficacius *p.* 17. *l.* 21. Guarinus *l.* 27. machinâ *p.* 39. *l.* 3. Honorii. *p.* 41. *l.* 5. præ cæteris *in margine p.* 42. Athenagoras *p.* 43. *l.* 20. manaſſe *p.* 46. l. 22. Athenagoræ *p.* 47. *l.* 21. quæ fabulæ Romanenſis uſque *p.* 49. *l.* 13. S. Brigittæ *p.* 50. *l.* 10. ſolùm *p.* 53. *l* 21. nihil conferri *l.* 26. venerit *p.* 54. *l.* 3. offert *p.* 56. *l.* 29. Arminiacum *p.* 58. *l.* 20. Scythiæ *p.* 59. *l.* 26. diſputationes *in marg. p.* 62. Hyſminæ *l.* 19. movetur *p.* 63. *l.* 13. à mediis rebus *p.* 64. *l.* 13. Satyrion *p.* 67. *l.* 12. ex terſâ *p.* 68. *l.* 12. Veratiorum *pag.* 79. *l.* 15. id laboris *p.* 84. *l.* 4. Gallias *l.* 14. Franca *p.* 91. *l.* 8. domno *p.* 94. *l.* 5. Califis *l.* 7. contingebat *p.* 95. *l.* 25. tunc *p.* 96. *l.* 1. nutrice *l.* 14. imitatus *l.* 19. experte *p.* 97. *l.* 24. artibus excultæ *p.* 98. *l.* 2. Oriniaci *l.* 20. origines. *p* 99. *l.* 21. hominis ſolius *p.* 100. *l.* 15. Opulentiæ

IN-

INDEX

In Tractatam de Interpretatione & Clares Interpretibus.

A

Aronis Pandectæ medicinæ. 165
Abdias Babyloniꝰ ſuppoſititius. 171, 194
Abenama Saracenus. 161
Abenbitar. 161
Abenguefit. 181
Aben Vachaſchijah. 162
Abintaris tractatus de Principiis. 163
Abraham Iſaaci Monachi Interpres. 169
R. Abraham Chaiia. 190
Abrahamus de Balmis. 185. 186
Abraham ebn Tacwin. 166
Abrahamus Judæus. 179
Abrahamus Judæus alter. 180
Abrahamus Medicus. 182
Abulſaphe. 164
Abumeron Abenzohar. 181
Aba Scharmatæus. 165
Accius. 13
Acherius Rhetor. 193
Achmeti Onirocritica. 170
Acitii Annales. 193
Acron Scholiorum in Horatium auctor non eſt. 59
Acta Apoſtolorum Ebraicè è Græco converſa. 120
Actuarius. 170
Ægidius Viterbienſis. 180
Ægyptiorum Patrum Sententiæ. 197
Æſopi Fabulæ Arabicè redditæ ſunt, de Arabico Ebraicæ. 165
Æſõpus Calliſthenis interpres. 197
Æthici Hiſtoriæ falsò ab Hieronymo verſæ creditæ. 201.
Æthiopiam adierunt & inſiderunt Coloniæ Chaldæorum 135
Æthiopicæ Interpretationes Scripturæ. 46. 134
Æthiopicè verſa ſunt Concilia & Patres plerique. 166
Afranius. 13
Agathias Scholaſticus. 169
Agbarus Edeſſenorum Rex. 128
Rodolphus Agricola. 130
De Agricultura liber Ægyptius. 162
Albategnius. 179
Albulcaſis 180
Albumaſar. 179

 Al-

Alcanamoſali. 181
Alchabitius. 179
Alcoranus. 183. ne quis eum interpretetur vetant leges Muhammedanorum. *ibid.* Alcorani Interpretatio Johannis Segobienſis.*ibid.*Roberti Ketenenſis & Hermanni Dalmatæ. 185. aliorum quorundam.186. Dominicani cujuſdam. 189
Alexander Aphrodiſæus 161. ejus liber de Animâ. 167
Alfraganus. 179. ejus Chronologica & Aſtrologica elementa. 164
Algazel. 179
Almamon Chalifa. 157.160
Almanſor. 180
Andreas Alpagus Bellunenſis. 179. 184
Alpharabius. 180
Pompilius Amaſæus. 222
Romulus Amaſæus. *ibid.*
Ambiguum quomodo interpretandum. 34
Ambroſius Camaldulenſis. 218
S Ambroſius Hegeſippi Interpres creditus. 195. ejus Hexaëmeron 13. ejus de optimo genere interpretandæ Scripturæ ſententia. 49
Jacobus Amyotus. 244
Anaſtaſius Antiochenus Epiſcopus. 172
Anaſtaſius Apocriſiarius. 206
Anaſtaſius Bibliothecarius. *ibid.*
Anaſtaſii Imperatoris juſſu Trajani & Hadriani Tactica convertit Urbicius. 172
Anaſtaſius vitæ Gregorii Nazianzeni à Gregorio Preſbytero Græcè ſcriptæ Interpres. 207
Anatolius Codicis Interpres. 175
Andronici Theſſalonicenſis de Leonardo Aretino Judicium. 218
Angelus Politianus. 219
Angli Interpretes. 234
Anianus. 206
Animalium Dialogus ex Græco Arabice verſus. 162. ex Arabico Ebraice. 164
Annius Viterbienſis. 220
Annominatio quomodo interpretanda. 27
Antimachus Clarius. 21
Antonii Monachi Ægyptiacæ Epiſtolæ Græcè redditæ. 169
Apocalypſis quando in Canonicorum Librorum cenſum recepta. 129
Αποκάλυψις vox profanis Auctoribus ignota. 70
Apollinarius Laodicenus. 119
Apollonii Pergæi Arabica Interpretatio. 159
Apuleius Ludum Patrenſem imitatus eſt. 15. Gaudentii Harmonicam, & Nicomachi Arithmeticam, & Hermetis Aſclepium Latinè vertit. 194. & Ariſtoteli adſcri-

ſcriptum Librum De mundo. 198. Ariſtotelis Librorum Compilatio Arabica Ebraice reddita eſt. 165
Aquila Ponticus Scripturæ Interpres. 23. 118. ejus Interpretatio qualis. 44. 62. 72. 118
Aquilius. 13
Arabes Græcos Auctores parum intellexerunt. 156. quo tempore literæ apud ipſos floruerint. 157
Arabicæ Interpretationes Scripturæ. 64. 75. 130. & ſeq 162.
Arabicæ Interpretationes peſſimæ. 156. & ſeq.
Arcandam. 180
Arcanum Arcanorum. 162. 164.
Archelaus Meſopotamiæ Epiſcopus. 169
Johannes Argyropylus. 211. 238. 239
Arias Montanus. 24. 40. 144. 149. 191
Ariſteas. 43. Ebraicè converſus. 167
Ariſtidis Fabulas Mileſiacas Latinè vertit Siſenna. 193
Ariſto Pellæus. 194
Ariſtoteles Arabicè verſus. 158. 161. Perſicè. 158. Ebraicè. 164. Syriacè. 165. Tartaricè. *ibid.*
Ariſtoteli adſcripti de Philoſophiâ Ægyptorum Libri Arabicè verſi. 161. Latinè. 183. Libri de Plantis Arabicè, & Græcè ex Arabico redditi. 170. Libri decimi de Animalibus vetus interpretatio. 195
Ariſtoteli adſcriptus liber De mundo. 198
Ariſtotelis Interpretes Græci plerique Arabice; & ex Arabico Ebraice verſi ſunt. 165
Arius Heracleopolita. 169
Armegandus Blaſii. 179. 185
Armenica Scripturæ Interpretatio. 153
Armenicè converſa ſunt Chryſoſtomi opera. 166
Aſias Sacerdos Syriacæ Veteris Teſtamenti Interpretationis Auctor eſſe fertur. 128
Aſitus V. Lætus.
Athelardus. 178
Attilius. 13
Averroes. 185. Ebraicè verſus. 165. ejus Interpretes. 185
S. Auguſtini de optimo genere interpretandi ſententia. 49. ejus Libros nonnullos Græcè vertit Maximus Planudes. 176. ejuſdem librum de Trinitate Græcè incertus alter interpretatus eſt. 176. ejuſdem nonnulla Græcè vertit Demetrius Cydonius. 177
Avicenna. 160. Ebraice verſus. 165. ejus Interpretes. 170. 179. 184.

Avienus. 13
Avitus Presbyter Hiſpanus Luciani Librum de S. Stephani ſepulcro vertit. 196
Autolici Arabica Interpretatio 160. Latina. 183
R. Azarias Idumæus. 167

B

HErmolaus Barbarus. 221
Bardeſanes. 169
Baruch Vulgatæ Editionis unde depromtus ſit. 138
Bartolomæus Georgievitſius. 182
Bartolomæus Picenus. 177
Baſilicôn Libri. 175. 213
Baſilii Hexaëmeron convertit Ambroſius. 13
Baſilii Libellus De conſolatione in adverſis. 196
Baſilii opera quædam Arabice converſa. 161
Batrikius Interpres Arabs, 157
R. Bechai ſenex. 163
Beeczeber. 170
Belgæ Interpretes. 230
Bellator Presbyter. 196
Benjamin Tudelenſis. 191
Ben Syra. 189
Cornelius Bertramus. 243
Beſſarion Cardinalis. 237
Bethem Arabs. 180
Theodorus Beza. 150.215
Biblia Vatabli. 147
Theodorus Bibliander. 246
Jacobus Billius Prunæus. 214
Bilibaldus Birkheimerus. 225
Boëthii Liber De conſolatione Philoſophiæ Ebraicè redditus. 165
Boëthius Nicomachi Arithmeticam Latinè vertit. 15. 194. optimus Interpres. 202. ejus de differentiis topicis Libros tres priores Græcè reddidit Anonymus quidam. 175
Alphonſus Bonihominis. 179
Leonardus Brunus Aretinus. 218
Johannes Bruyerinus Campegius. 185
Gulielmus Budæus. 209
Buhahylyhæ Bingezlæ Tacuini. 180
Bulgarus Juriſconſultus. 203
Johannes Franciſcus Burana. 185
Burgundio Piſanus Juriſconſultus. 203

C

CÆcilius. 13
Cajetanus Cardinalis. 149
Calliſthenes ſuppoſititius. 170 197
R. Calonymos, V. Calos Calonymos. 164
Calos Calonymos. 185, 186
Matthæus Calventius. 245
Johannes Calvinus. 243
Joachimus Camerarius. 227
Petrus Candidus December. 219
Johannes Campanus. 184
Canones Apoſtolorum Arabicè verſi. 162
Gulielmus Canterus. 231

Capi-

Capito Lycius. 172
Jacobus Carpentarius. 183
Iſaaci Caſauboni laus. 8. 21. ſtudia Arabica. 132. 155. 156
Johannes Caſſianus. 172
Caſſiodori de optimo genere interpretandi ſententia. 51. ejus ſtudio Latinè redditi ſunt Clementi Alexandrino adſcripti in quaſdam Epiſtolas Canonicas Commentarii. 196. Epiphanium Scholaſticum in Epitomen contraxit. 205
Caſſius Dionyſius. 169
Sebaſtianus Caſtalio. 148. 244
Caſtus Carmelita. 197
Hier. Catena. 32
Catonis Diſticha Arabicè reddita. 161. Græcè. 176
Catullianæ Interpretationes Sapphus & Callimachi. 13
Cebetis Arabica Interpretatio 161
Celſes Ariſtonis Pellæi Interpres. 194
Chætus. v. Lætus.
Chalcidius. 205
Chaldaicæ Paraphraſes. 63. 75. 121. *& ſeq.*
Chaldaicè ſcripta pars quædam Scripturæ. 125
Johannes Checus. 234
Petrus Cholinus. 146
Choſroës Perſarum Rex Platonis & Ariſtotelis libros in Perſicum ſermonem referri juſſit. 158
Jacobus Chriſtmannus 179
Johannes Chriſtoforſonus. 235
Emanuel Chryſoloras.
Ciceronis Interpretationes quædam. 13. 54. ejus de optimo genere interpretandi ſententia. 54. *& ſeq.* 197
Conradus Clauſerus. 225
Claudius Quadrigarius. 193
Clementi Alexandrino adſcripti in quaſdam Canonicas Epiſtolas Commentarii, Caſſiodori ſtudio Latinè verſi. 196
Clementis Recognitiones. 202
Clemens V. Linguarum & Interpretationum ſtudia commendavit. 111
Johannes Clopinellus Magdunenſis. 242
Codgia Neſir. 158
Federicus Commandinus. 223
Concilia ſacra Arabice reddita. 162
Conſtans Memphita. 170
Conſtantinus Aſyncritus. 170
Conſtantinus Monachus. 178
Conſtantini Romana Hiſtoria. 170
Coptica Scripturæ Interpretatio. 152
Copticè verſi ſunt Patres pleríque. 166
Janus Cornarius. 227
Cornelius Celſus. 13. 198
Cornelius Gallus ex Euphorione nonnulla tranſtulit. 13

Cornelius Nepos. 208
Cozri. 168
Junius Paulus Craſſus. 223
Hermannus Cruſerius. 231
Jacobus Cujacius. 212. Græcarum Epiſtolarum Interpretatio falsò illi adſcripta. 213
Cyrillus Carmelita. 197
Cyrillus Digeſtorum Interpres. 175
Cyrillus Hieroſolymitanus. 172
Cyrillus Rutenicorum characterum, & Rutenicæ Interpretationis Scripturæ auctor. 154

D

Jacobus Dalecampius. 215
Dalmatica Scripturæ Interpretatio. 153
Dalmatici characteres. *ibid.*
Damnatorum Liber. 189
Danielis partes quædam Vulgatæ Editionis unde depromptæ ſint. 138. Ebraicè redditæ. 142
Dares Phrygius. 207
David Armenus, cognomento Philoſophus. 153. 180
Demetrius Cydonius. 177. 189
Dialogus Animalium. 164
Dictys Cretenſis. 207
Didymus. 200
Diodorus Tarſenſis. 163
Dionyſius Exiguus. 204
Dioſcoridis Arabica Interpretatio. 161
Diſputatio adverſus Muhammedanorum doctrinam. 182
Diſputatio Jaſonis & Papiſci. 194
Dorotheus Digeſtorum Interpres. 133
Johannes Duca. 170

E

Ebn Tophail Epiſtola. 164
Ebræorum in ſcribendo jejunitas. 191
Ebraicorum Scripturæ codicum diſſenſio. 72
Eccleſiaſtici liber Vulgatæ Editionis unde depromptus ſit. 137. Græca hujus libri à Jeſu Sirachidâ concinnata Interpretatio ex Ebraico Jeſu archetypo profluxit. 142
Elias Levita. 187
R. Elias Miſrachi. 190
Elluchaſem. 181
Ennius. 13. 14. Euhemeri Hiſtoriam Deorum Latinè reddidit. 193
Epeis. 169
Ephraimus Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus. 169
Epiphanius Scholaſticus. 205
Epiſtola ad Ebræos. 120. 142
Epiſtola De Polycarpi martyrio. 200
Epiſtolæ Canonicæ quando in Canonicorum Librorum cenſum receptæ. 129
Epiſtolarum Novi Teſtamenti

&

& Apocalypſeos Vulgata Editio ex Italâ excepta, ſed ab Hieronymo, vel aliqua Hieronymi exemplum ſecuto emendata. 138
Epiſtolarum Græcarum Cujacio falſo adſcripta Interpretatio. 213
Epitome quid. 14
Deſiderius Eraſmus. 26. 150. 230. ejus de Leonardo Aretenò judicium. 218. An gelo Politiano. 219. Theodoro Gazâ. 238
Erichiafarim de ſeptem Planetis. 178
Johannes Erigena. 207
Thomas Erpenius. 155
Eſdræ tertius & quartus liber Vulgatæ Editionis unde deprompti ſint. 138
Eſdræ Liber quartus non eſt opus primigenium, ſed e Græco tranſlatum. 194
Eſther Vulgatæ Editionis partes quædam unde depromtæ. 109. Ebraicè converſæ. 142
Evagrius vitam S. Antonii ab Athanaſio ſcriptam Latinè vertit. 66 ejus Sententiæ à Gennadio Latinè expoſitæ. 195
Euangelium ſecundum Ebræos. 170, 201
Euclidis Arabica Interpretatio. 158. Ebraica. 163. Latina Athelardi. 178. Campani. 184
Euhemeri Deorum Hiſtoria ab Ennio Latinè converſa. 193
Euphantus. 169
Euſebius Vercellenſis. 195
Euſebii & Pamphili Scripturæ Interpretatio. 39
Euſebii liber de feſto Paſchali. 194
Euſebius accuratus interpres. 48. 173
Euſebii Opuſculorum quorundam vetus interpres. 195
Euſtathius. 206
Euſtochius S. Pelagiæ vitam Latinè convertit. 196
Eutropius Abdiæ Interpres creditus. 171, 194
Eutropius Hiſtoricus. 172, 174

F

GUido Fabritius Boderianus. 126. 150.
Facundus Hermionenſis. 205.
Marcus Fadella Damaſcenus. 183.
Paulus Fagius. 149. 189.
Claudius Falchetus. 243.
Farragus Judæus. 180.
Johannes Bernardus Felicianus. 222.
Anutius Foëſius. 215.
Franciſcus Foxius Candalla. 213.

G

GAleni Converſio Arabica. 158. 160. 161. 165.
Galeni Epitome a Maimonide

de lucubrata Arabice, verſa eſt Ebraicè. 165.
Petrus Galeſinius. 123.
Galli Interpretes. 209. & ſeq.
Gallicæ Interpretationes. 240. & ſeq.
Gaudentii Harmonica ab Apuleio Latinè verſa. 194.
Theodorus Gaza. 177. & ſeq. 238.
Geber. 180.
Gelaſius Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus. 172.
Gelaſius Cyzicenus. 178.
Sigiſmundus Gelenius. 225.
Gellius. 198.
Gilbertus Genebrardus. 145. 190. 214. 244.
Johannes Geneſius Sepulveda. 235.
Gennadius. 195.
Gennadius Scholarius. 172.
Gergius Armenorum primus Patriarcha. 153.
Georgius Byzantius. 170.
Georgius Trapezuntius. 237.
Georgius Zigabenus. 170.
Gerardus Carmonenſis. 181. 184.
Germani Interpr. 224. & ſeq.
Germanicus. 13.
Germanorum laus. 224.
Conradus Geſnerus. 226.
Obertus Giſanius. 229.
Petrus Gillius. 210.
Gothica Scripturæ Interpretatio vetus. 154.
Gothici characteres. 154.
Græca Lingua. 52. 53. 54.
Græci recentiores literas in reliquam Europam invexerunt. 237.
Græci recentiores Interpretes. 237. & ſeq.
Græcorum Opera nonnulla Arabicè expoſita, Græcè iterum ex Arabico interpretata. 201.
Græcorum veterum Interpretationes ferè nullæ. 54. 168.
Græcorum recentiorum Interpretationes non multæ. 169.
Grammatici quomodo interpretandi. 29
Gratiani Decretum Græcè redditum. 172
Gregorii Magni de optimo genere interpretandæ Scripturæ ſententia. 49. Ejus Dialogi & Paſtoralia à quo Græcè reddita. 172
Gregorii Nazianzeni vita. 207
Gregorius Presbyter vitam Gregorii Theologi Græcè ſcripſit. 207
Gregorius Tiphernas. 210
Claudius Grolartus. 215
Nicolaus Gruchius. 58. 211.
Grumerus. 182
Simon Grynæus. 225
Johannes Guinterius Andernacus. 226
Gulielmus Guerentæus. 211

H

HAdriani Tactica. 172
Hadrianus Gulielmi Fliſſingenſis, φιλάργυρ. 155

Hagiographorum Interpres Chaldæus. 122. *& ſeq.*
Hali Regalis Diſpoſitionis auctor. 181
Hali Rodoham. 180
Hannonis Periplus. 169
Harith ibn Cinem. 134
Haſenus interpres Arabs. 157
Hegeſippus. 13, 194
Daniel Heinſius. 232
Helleniſtica lingua. 46
Herennius Modeſtinus. 203
Herhagus interpres Arabs. 157
Hermannus Dalmata. 185
Hermes Aſtrologus. 179
Hermetis liber de revolutionibus nativitatum. 196
Hermeti Triſmegiſto falsò afficta Opera. 171. Ejus Aſclepius Latinè verſus ab Apuleio. 194
Heronis Arabica Interpretatio. 160
Gentianus Hervetus. 213
Heſychii Interpretatio Scripturæ. 46
Hierichuntina Scripturæ Interpretatio. 45. 118
Hieronymi Latinæ Scripturæ Interpretationes. 48. 64. 65. 90. 91. Dalmatica. 153 reliquæ interpretationes. 200
Hieronymus. 76. 77. caſtigatur. 181. *& ſeq.* ejus laus 80. 81. 137.
Hieronymiana Scripturæ Interpretatio v. Dalmatica.
Hieronymiani characteres. v. Dalmatici.
Hieroſolymitanus Paraphraſtes. 121. ejus Interpretatio qualis. 123. 124. ſtylus qualis. 124. ejus Interpretatione utebantur Judæi Hieroſolymitani. 125
Hilarius non pauca Latinè vertit. 65. 78. 200. Hilarii fragmentum de Trinitate Græcè verſum. 176
Hiſpani Interpretes. 235
Hiſtorici quomodo interpretandi. 29
Hirami ortu procurata fuiſſe fertur Syriaca Veteris Teſtamenti Interpretatio. 128
Hobaiſus ebn Alaſam. 166
David Hoëſchelius. 229
Homeri Libri quidam Syriacè & Indicè verſi. 166
Honain. 162. 166. 167. 181.
Horapollinis interpres Philippus. 169
Horatii de optimo genere interpretandi ſententia. 159
Horatii Scholia. V. Acron.
Humainus V. Johannitius.
Humbertus Epiſcopus. 170
Laurentius Humfredus. 28. 235
Hyginus. 15
Hyperidis orationes à Meſſalâ Latinè verſæ. 193
Hypſicrates. 168

I.

R. Jacob filius Antolii. 164
R. Jacob Romanus. 164
Jacobitarum Liturgia. 190

Ja-

Jacobus Alkindus. 181
Jacobus Diaconus Heliopolitanus vitam S.Pelagiæ Græcè ſcripſit. 19
Ibas. 163
Idiotiſmi quomodo interpretandi. 34. 40
R.Jehudæ Levitæ Sepher Haccozri. 163
Indicè verus eſt homerus. 166
Interpres Canonum Eccleſiæ Africanæ. 174
Interpres ſomniorum. 170
Interpretandi ars. 105. *& ſeq.*
Interpretandi difficultas. 104. 105. 226.
Interpretandi forma optima quæ. 5. 15. *& ſeq.* 98. *& ſeq.*
Interpretandi labor inglorius. 106
Interpretandorum Latinè Græcorum ſtudium commendabant Veteres. 208
Interpretandi præcepta. 105 *& ſeq.*
Interpretatio fere nulla Notis carere poteſt. 28
Interpretatio latè ſumta, quid. 11
Interpretatio Latina Chaldaicæ Paraphraſeos Scripturæ, ab Ariâ Montano confecta. 149
Interpretatio proprie dicta, quid. 12
Interpretatio Scripturæ Latina, è LXX. expreſſa, in Bibliis Complutenſibus edita. 148
Interpretatio Scripturæ Græca, ad Latinam Hieronymi Editionem, è LXX. derivatam expreſſa. 120
Interpretatio Scripturæ Græca virorum triginta. 119
Interpretatio Scripturæ Græca virorum ſex. 119
Interpretatio vetus Latina Novi Teſtamenti. 23. 121. 138
Interpretationis variæ ſpecies. 11. 12. 13
Interpretandum κατὰ πόδα. 21 *& ſeq.*
Interpretum licentia unde profluxerit. 19
Johannitius Iſaaci filius. 181
Iobi liber Syriaſmis aliquot inquinatus. 139. Syriacè primùm ſcriptus, à Moſe deinde, ut quidam tradunt, Ebraicè converſus. 130
Johannem Chryſoſtomum Armeniacæ Scripturæ Interpretationis auctorem eſſe nonnulli exiſtimant. 153
Johannis Chryſoſtomi Opera quædam Arabicè reddita. 162
Johannes Florianus. 187
Johannes Hiſpalenſis. 164. 179
Johannes Hiſpalenſis Epiſcopus. 133
Johannes Iſaac Levita. 164. 189
Johannes Leo Africanus. 187
Johannes. S. R. E. Subdiaconus. 195

Io-

Johannes Segobienſis Cardinalis. 183
Johannes Serapionis F. 179
Johannis Euangelium de Græco Ebraicè converſum. 121
R. Ionas ben Ganach. 164
Ionathan ben Uziel. 121. quo tempore vixerit. *ibid.* ejus Paraphraſes qualis. 124. ejus ſtylus. *ibid.*
Ioſephes 15, 195, 201
Ioſephus ben Gorion. 15, 142
Ioſephus Cæcus. 122. ejus Paraphraſis qualis. 124. ſtylus. *ibid.*
Irenæus. 52. Græcè ſcripſit. *ibid.* Latina ejus Interpretatio. *ibid.* & 199.
Iſaac Honaini filius. 162, 165
Iſaacus Iſraëlita. 170
Iſaaci Liber fidei. 183
Iſaacus Presbyter Antiochenus. 169
Iſidorus Clarius. 145
Iſidorus Codicis interpres. 175
Iſidorus Mercator. 204
Iſidori Peluſiotæ Interpretatio Latina vetus. 196
Itala Interpretatio. 47, 64, 75, 92, 137. *& ſeq.* hanc Ambroſium Operibus ſuis inſeruiſſe veriſimile eſt. 139
Itali in interpretandi arte toti Europæ præiverunt 237
Itali Interpretes. 117
Itali primi à Græcis recentioribus exulibus literas receperunt. 237
R. Ithiel Chariri. 164
Iudæi ad verbum interpretari fere conſueverunt. 167
R. Iuda aben Tibbon. 167, 168
R. Iuda Alchariſti. 127
Iuda ben Cardaniel. 168
R. Iuda Levita. 168
Iudith Liber Chaldaicè ſcriptus. 125. Ebraicè, Græcè, & Latinè converſus. 140
Iulius Novellarum Interpres. 203
Iulius Africanus. 194
Iulii Cæſaris Commentariorum Græca Interpretatio. 177
Franciſcus Iunius. 231
Iuris interpretes quam in convertendis Latinis rationem tenuerint. 174
Auguſtinus Iuſtinianus Nebienſis Epiſcopus, ejuſque Octapla. 133, 143, 188
Iuſtiniani Inſtitutionum Interpretatio à Theophilo concinnata. 174
Iuſtinianus Legum Interpretationem nullam, præterquam quæ eſſet κατὰ πόδα, probavit. 174 213,

K

Κανονικὰ, quid. 77, 78
Κωδικεύτης. 175

L

Andreas à Lacunâ. 236
Lætus. 168
Dionyſius Lambinus. 212
Landinus Hieroſolymitanus Eques. 182

Io-

Johannes Langus. 226
Lapus Florentinus. 218
Largius Deſignatianus. 198
Janus Laſcaris. 110
Latinæ Interpretationes Scripturæ. 238
Latini Interpretes Græcorum innumeri. 193
Latinorum opera quamplurima, Græcè reddita, Latinitati iterum donata. 202
Lenæus Pompei libertus Mithridatis libros Latinè vertit. 193
Leo Africanus V. Johannes Leo.
Leo Judæ, ejuſque Interpretatio Bibliorum. 145 *& ſeq.*
Leo Philoſophus. 181
Leo II. 196
Nicolaus Leonicenus. 222
R. Levi ben Gerſon Danielem Ebraicè interpretatus eſt. 125
Johannes Leunclavius. 228
Liber de fide Rufino tributus. 196
Thomas Linacer. 234
Juſtus Lipſius. 233. ejus ſtylus. *ibid.*
Luciani liber de S. Stephani ſepulcro. 196
Luciani Scripturæ Interpretatio. 46
Ottomarus Luſcinius. 225
Lynceus. 13

M

MAcer. 12
Machabæorum liber primus Syriacè primum ſcriptus, Græcè & Latinè converſus. 142. Machabæorum libri Ebraicè redditi. 142.
Machabæorum libri Vulgatæ Editionis an ex Italâ Interpretatione ſint depromti. 138
Macrobium Græcè reddidit Maximus Planudes. 176
Johannes Magdunenſi. V. Johannes Clopinellus.
Mago Carthaginenſis. 245
Franciſcus Malherbæus. 169
Manaſdæ Oratio.. 194
R. Manſena. 188
Iacobus Mantinus. 184, 185
Marabæ. 129
Marcum Euangeliſtam Interpretationis Syriacæ Novi Teſtamenti auctorem eſſe Syri putant. 126
Marci Euangelium. 120
Marcus Toletanus. 181
Mariæ Ægyptiæ vita. 195
Marius Mercator. 204
Marius Victorinus. 202
Marſilius Ficinus. 221. caſtigatur.
Martianus Capella. 13
Petrus Martinius Morentinus. 236
Martinus Bracarenſis. 197
Marullus Tarchiniota. 110
Andræas Maſius. 129, 190
Nicolaus Maſſa. 183
Maſſem Arabs. 160
Matthæi Euangelium. 120, 121

Mat-

Matthæi Euangelium Ebraicum à Munſtero, Mercero, & Tilio editum, à Judæis confictum eſt è Græco. 121. 141
Matthiæ Apoſtoli Geſta. 189
Franciſcus Maurolycus. 183
Maximus Planudes. 176
Maximus quidam librorum Ariſtotelis de Plantis Interpres. 170
Mazurus Ægyptius 170
D. Meir Regis Caſtiliæ medicus. 163
Philippus Melanchthon. 227
Johannes Mercerus. 190. 210
Mercurii Columnæ. 171
Mercurii libri. 171
Meſſala Hyperidis orationes Latinè vertit. 193
Meſſahalah. 180
Johannes Meſue. 157. 180. 191
Metaphoræ quomodo interpretandæ. 35. 40
Metaphraſis quid. 14
Methodius. 154
Michaël Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Syncillus. 170
Miſſa veterum Chriſtianorum Angamallenſis Epiſcopatus. 181
Mithridatis libros Lenæus Latinè vertit. 193
Mochus. 168
Modeſtinus. Vide Herennius.
Federicus Morellus. 216
Thomas Morus. 234
R. Moſes aben Tibbon. 163
Moſes Alatinus. 182
Moſes Armenus, cognomento Grammaticus. 153
R. Moſes bar Cepha. 190. Syriacæ Veteris Teſtamenti Interpretationis auctor eſſe fertur. 128
R. Moſes ben Maimon. 164. 187. Græce peritus fuiſſe dicitur. 160. ejus de optimo genere interpretandi ſententia. 68. 97. Zabiorum librum de agricultura Arabice vertit. 162. ejus Epiſtola ad Judæos verſus meridiem habitantes. 164. Ejus Epiſtola De reditu ad vitam. 164. Galeni Epitomen lucubravit. 165
R. Moſes ben Samuël. 163
R. Moſes Kimchi. 187
Moſes Meredinæus. 126
Moſes Rouas. 183
Muhammedus Iſaaci filius auctor Catalogi Interpretum Arabum. 183
Muhammedus Turcarum Imperator. 182
Mulechus Sapherapes Saracenorum Soldanus Chriſtianos Palæſtinâ expulit. 241
Sebaſtianus Munſterus. 141. 144. 187
Marcus Antonius Muretus. 212
Wolfgangus Muſculus. 225
Muſus Perſa. 169
Mutianus. 193
Mutius Scholaſticus. 206

Nicolaus Mutonus. 179

N

Petrus Nannius. 231. ejus de Franciſco Philelpho judicium. 218. de Marſilio Ficino. 221
Natalis Comes. 223
Michaël Neander. 227
Nicolaus Damaſcenus. 161
Nicolai Summa Philoſophiæ Ariſtotelicæ. 166
Nicomachi Arithmeticam Latinè verterunt Apuleius & Boëthius. 194
Nicopolitana Editio. 46. 118
Vitalis Niſſus. 185
R. Noachus. 164
Flaminius Nobilius. 139
Notgerus. 196
Novellarum Juſtiniani Interpres, homo Græcus. 203
Novi Teſtamenti Latina Interpretatio vetus. 230. ex Italâ Editione depromta, & ab Hieronymo emendata. 139. è Græco profecta. 121
Nubienſis Geographus. 191

O

Officium cordium: 163
Robertus Olivetanus. 243
Omar. 180
Omar Saracenorum Rex. 181
Onkelos. 121. 122. quo tempore vixerit. *ibid.* ejus Paraphraſis qualis. 123. ejus Interpres Paulus Fagius. 189. ſtilus qualis. 99. Judæis τ8 διασπορᾶς τ8 Ασίας in uſu fuit. 125
Onuphrii Eremitæ vita. 195
Oratores quomodo interpretandi. 28. 40
Oreſieſii Præcepta. 170
Nicolaus Oreſmius. 242
Origenis Commentariorum in Matthæum vetus Interpretatio. 207
Lucas Oſiander. 145
Oſwaldus Schreckenfuſchius. 190
Ovidius. 14
Ovidii Metamorphoſeis, & Heroidum Epiſtolas Græcè convertit Maximus Planudes. 176

P

Pachomii Regula Monachorum. 170
Julius Pacius. 168
Pacuvius. 13
Pæanius. 174
Santes Pagninus. 24. 144
Palladius Galata. 90. 143
Paphnutius Abbas. 195
Paraphraſis quid. 60. ejus duplex genus. 60
Parthenius Nicenus. 14.
Paſchaſius S. R. E. Diaconus. 195
Patres quomodo interpretandi. 25. 39.
Patritius Iſaaci Monachi Interpretes. 169
Pauli Æginetæ libri aliqui Syriacè verſi. 166
Paulus Arabs. 170

Pau-

Paulus Diaconus Neapolitanus. 195
Paulus Humberti Epiſcopi Interpres. 170
Paulus Iſraëlita. 185
Pelagiæ vita. 196
Pelagius S. R. E. Diaconus. 195
Pelagio tributus de Fide liber. 196
Conradus Pellicanus. 145. 146. 183
Johannes Pena. 159. 210
Joachimus Perionius. 58. 211
Periphraſis quid. 14
Nicolaus Perottus. 220. & ſeq.
Perſicæ Interpretationes Scripturæ. 46. 136
Perſicæ Interpretationes auctorum τῶν ἔξωθεν, 158
Dionyſius Petavius. 216
Petrus Æthiops. 134
Petrus Aponenſis. 180
Petrus Cluniacenſis. 182. 185
Petrus Nicolaus Faventinus. 183
Petrus, Notarius Petri Cluniacenſis. 182
Petrus Toletanus. 182
Pharaon Judæus. 134
Franciſcus Philelphus Tolentinas. 218
Philippo Pulchro regnante interpretandi ars in Gallis florere cœpit. 241
Philippus Herapollinis Interpres. 169
Philo Byblius Sanchoniathonis Hiſtoriam Phœnicum Græcè convertit. 168
Philo Senior, interpres libri Sapientiæ. 168
Philonis ſuppoſitii Breviarium temporum. 167
Pilpæi Brachmanis fabulæ. 161
Johannes Piſcator. 148
Planudes. V. Maximus Planudes.
Plato Tiburtinus. 180
Plautus. 13
Poëtæ Græci ſatis accuratè converſi. 31
Poëtæ Latini quomodo Græcos Poëtas tranſtulerint. 95
Poëtæ quomodo interpretandi. 30. & ſeq. 39
Poloni Interpretes. 236
Policarpi liber Reſponſionum 195
Conſalus Ponceleonius. 236
Poſidonii Elementa meteorologica. 199
Gulielmus Poſtellus. 186
Præſagium Muhammedanorum de Chriſtianorum calamitatibus, & ſuæ Gentis excidio. 182
Felix Pratenſis. 149
Proverbia quomodo interpretanda. 40
Proverbiorum Arabicorum liber. 191
Pſalterium Vulgatæ Editionis ex antiquâ Italâ deſumptum eſt. 137

Ptolemæi Almageſti Interpretatio Arabica. 158. 160
Ptolemæi Planiſphærii interpretatio Arabica. 160. Latina. 179
Pythagoræ aurea carmina Arabicè verſa. 161

Q

Johannes Quinquarboreus. 184
Quintiliani de optimo genere interpretandi ſententia. 59. 60

R

Raphael Volaterranus. 222
Raſe. 169. 180. 191.
Johannes Reuchlinus. 149. 225
Hieronymus Rhamnuſius. 141. 184
Rhemnius Fannius. 13
Antonius Riccobonus. 223
Richardus Florentinus. 177. 189
Nicolaus Rigaltius. 216
Robertus Keteneniſis. 185
Robertus Lincolnenſis. 180
Rodolphus Brugenſis. 160. 179
Johannes Ruellius. 209
Rufinus. 172. Itala Scripturæ interpretatione videtur eſſe uſus. 140. peſſimus Interpres. 85. 202. Liber de Fide ipſi tributus. 196
Rutenica Lingua. 154
Rutenica Scripturæ Interpretatio. 154
Rutenici characteres. 154

S

Saadias Gaon. 131. ejus Interpretatio Scripturæ qualis. ibid.
Salluſtii Interpretatio Græca à Zenobio accurata. 172
Claudius Salmaſius. 217
Salomon Syriacæ Veteris Teſtamenti Interpretationis auctor eſſe fertur. 128
R. Salomonis ben Gavirel Selectæ Margaritæ. 163
Samaritana Interpretatio Pentateuchi. 46. 151
Samaritanorum Arabica interpretatio Pentateuchi. 125
Samaritanus Pentateuchus. 20 Græcè redditus. 120. 151
R. Samuël aben Tibbon. 164
R. Samuel ben Banſchal. 165
R. Samuëlis liber de adventu Meſſiæ. 179
Sanchoniathonis Hiſtoria Phœnicum Græcè à Philone Byblio reddita. 168
Sanctorum vitas complexus Liber à Photio memoratus. 195
Sapientiæ liber Chaldaicè converſus de Græco. 166
Sapientiæ librum Græcè vertit Philo Senior. 168
Sapientiæ Liber Vulgatæ Editionis unde depromtus. 108
Joſephus Scaliger. 191
Julius Cæſar Scaliger. 211
R. Schem Tob Phalkeira. 165

An-

Andreas Schottus. 232
Scribonius Largus. 196
Scriptura ſanctâ in omnes propemodum linguas converſa. 115. ejus aliqua Interpretatio Græca an extiterit ante Ptolemæum Philadelphum. 116. quomodo interpretanda. 22. 38. 49. ejus interpretationes olim innumeræ. 47. 136 quædam ejus partes Chaldaicè ſcriptæ. 125. ejus partes aliquæ Syriacè ſcriptæ. 129. 131. Gallicè verſa regnante Philippo Pulchro 241. & Carolo V. 242
Seder olam minus. 187
Q. Septimio Romano adſcripta Dictys Cretenſis Interpretatio. 208
Septuaginta Seniorum Interpretatio. 42. 61. 116. & ſeq. ad nos pura & integra non pervenit. 35. eâ utebantur Judæi Alexandrini. 42
Sergius optimus Interpres. 170
Johannes Serranus. 229
M. Sethus. 170
Claudius Seyſſelius. 243
Sidonius Apollinaris. 195
Simeon Metaphraſtes quare ita dictus. 14
R. Simeonis Logica. 187
Simon Genuenſis. 179
Jacobus Sirmondus. 216
Siſenna Fabulas Mileſiacas Ariſtidis Latinè convertit. 193
Smaragdus Humberti Epiſcopi Interpres. 170
Sophronius Hieronymi Latinam Bibliorum Interpretationem Græcè tranſtulit. 119. alia ejuſdem pleraque Græcè convertit. 173
Sophronius Hieroſolymitanus Epiſcopus. 195
Sorſanus Arabs. 183
Papinius Statius. 15
Statius Cyrillus. 194
Stephanus Digeſtorum interpres. 175
Stephanus Hali Interpres. 181
Stephanus Mechanica Arabicè vertit. Chalidi juſſu. 157
Henricus Stephanus. 214
Robertus Stephanus. 145. 146
Ludovicus Strebæus. 58. 212
Joſephus Struthius. 236
Petrus Sutor. 150
Jacobus Sylvius. 191
Symeon Sethus. 162. V. Sethus.
Symmachus, ejuſque Interpretatio. 45. 63. 72. 74. 118
Symphorianus Champerius. 181
Syntipæ fabula. 169
Syriaca Scripturæ Interpretatio ſimplex dicta. 46. 127. Figurata dicta. 129
Syriaca Novi Teſtamenti Interpretatio à Widmanſtadio edita, qualis 126. hujus & ſimplicis purus eſt

Syriaſmus. 128. hujus Interpretationis S.Marcum auctorem Syri eſſe credunt. 127
Syriacæ novi Teſtamenti interpretationes. 129
Syriacè ſcriptæ partes quædam Scripturæ. 129
Syriacè verſi ſunt Patres plerique. 165
Syriaſmi multæ propagines. 128

T

Taſcius Victorianus. 195
Jacobus Tawaſius 136
Technici quomodo interpretandi. 29. 39
Tertulliani Apologeticus Græcè parum accurate redditus. 173
Teſtamentum duodecim Patriarcharum. 180
Joſephus Teſtander. 236
Terentius. 13
Thaddæus Apoſtolus Syriacè vertiſſe fertur Novum Teſtamentum, & partem Veteris. 128
Thalelæus. 180.174
Thalmud Arabice verſus. 162
Thargumin. 121
Thebith ben Corrah. 162
Themiſtii Commentarii in Analytica Ariſtotelis 194. ejus Commentariorum in Libros de Cœlo converſio Arabica, Ebræa, & Latina. 182
Theodori Mopſueſteni Opuſcula. 163
Theodorus Abucara. 170
Theodorus Ariſtotelis interpres Arabs. 162
Theodorus Hermopolites Codicis interpres. 175
Theodori Præcepta. 170
Theodoſii Tripolitæ Arabica Interpretatio. 159. Latina ex Arabico converſio. 181
Theodotionis Interpretatio Scripturæ qualis. 45 63.74. 118
Theodotus. 168
Theologi quomodo interpretandi. 25.40
Theophili Paſchales Epiſtolæ. 201
Theophilus Anteceſſor. 174
Theophilus Ediſſenus. 166
Theophraſti libri nonnulli Syriacè & Arabicè converſi. 166
Theoretica quomodo vertenda. 26
Thomæ Aquinatis liber de ente & eſſentiâ Græcè à Gennadio Scholario redditus. 172. ejuſdem alia Græcè convertit Demetrius Cydonius. 177. ejus Summa Græcè, Arabicè, & Sinicè expoſita eſt. 177
Nicolaus Leonicus Thomæus. 222
Thomas Malvenda. 118.
Johannes Tillius. 121.141
Timothei libellus ad Leonem Imperatorem à Gennadio Latinè redditus. 195
Titus Livius. 14. Arabicè red-

redditus. 156
Tobias Chaldaicè primùm ſcriptus. 125. Ebraicè, Græcè, & Latinè converſus. 140
Traductio quomodo interpretanda. 27
Trajani Tactica. 172
Immanuël Tremellius. 148
Hadrianus Turnebus 212

V

Valerius Flaccus. 15
Georgius Valla. 221
Laurentius Valla. 218
Gulielmus Varius 243
Varro Atacinus ex Apollonio nonnulla tranſtulit. 13
Terentius Varro. 14
Franciſcus Vatablus. 210
Ubertus Medicus φιλάεργ. 131
Vegetius Prætextatus. 194
Andreas Veſalius. 191
Victor Capuanus. 195
Petrus Victorius 222
Blaſius Vigenerius. 244
Arnaldus de Villanovâ. 179. 184
Ulphilas Gothicæ Scripturæ Editionis auctor. 154
Urbicius Tacticorum Trajani & Hadriani Interpres. 172
Urſus S. R. E. Subdiaconus. 206
Bonaventura Vulcanius. 231
Vulgata Interpretatio Scripturæ. 47. 65. 90. 91. 92. 137. 138. 201
Juſtus Vulteius. 226
Albertus Widmanſtadius. 126
Hieronymus Wolffius. 197. 226

X

Gulielmus Xylander. 227

Y

Yahia ebn Adda. 165

Z

Zabiorum liber de agricultura. 162
Zabiorum libri plerique Arabicè verſi. 162
Zacharias Papa. 174
Zahel. 180
Zaghar Elgzezar. 170
Zenobius Salluſtium Græcè convertit. 172
Zohar. 180

FINIS.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

f — 160

Digitized by Google